








2
6
221











BI

DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIO

Liber, in quo de Matrimonij origine, institutione, & contrahentibus, necnon de qualitatibus à iure requisitis ad Matrimonium contrahendum,

Et de omnibus, quæ ad matrimonialem materiam spectant, breuitate, & facilitate explicantur.

Auctore.

R. IACOBO PAMPHYLO Iu. vt. Doct.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M.DC.VI.

Apud Ambrosium Dei, Bibliopolam ad signum Deorum.



ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO D. FRANCISCO LAVREDANO ABBATI DIGNISSIMO.



IACOBVS PAMPHYLVS FAELICITATEM.



ICET homo seipsum primum, mundanarum, caducarumque rerum fragilitatem noscat, aculeos carnis aliquando ferre nequaquam valeat, ac potius exitium æternum quadam turpi cupiditate malit, quàm summi motoris fruitionem videre velit. Sancta Ecclesia tamẽ Spiritu sancto illuminata inspecto breuis huius vitæ fine, vt actiones nostras moderetur, ac regat,

omni studio, & aliquando animaduersione docet hominem, vt cor ad beatam, æternamque vitam dirigat, traditque instituta, vt saluti suæ consulat, medelamque adhibeat: quod mediante matrimonij sacramento plerunque euenit. Quadere sumpta à tanto sacramento occasione, librum hunc, in quo omnia, quæ ad matrimonialem materiam spectant, breuitate explicantur, in lucem edere statui: & quoniam quisque Patronum virtute, & dignitate clarum sibi constituit, cui opus suum potissimum dicat, vt illud tueatur, ac illustret: inter alios tu Illustrissime Antistes mihi occurristi: si enim insignes virtutes, et dotes animi tui spectemus, Quis te prudentia, integritate, vigilantia, mansuetudine, liberalitate reliquos præcellere, non fateatur? Quæ omnia oculi intellectu Clemens VIII. Pont. Max. conspiciens, te Abbatia sanctæ Mariæ Vangaditiæ Apostolicæ sedi immediate subiectæ, vt tam in clericos seculares, quàm regulares eius uicem perpetuo gereres, impigro affectu, atque illari fronte per alijs decorauit, quod mirabile visu, audituque apparet, vt in primis ætatis tuæ annis ad tale, & tantum regimen electus fuisti, magnaque cunctorum laude, te ita habeas, quod omnes vno ore summum motorem, vt te perdiu adseruet, indefesse obsecrant. Si dignitatem perspicimus, Quis nobilitatem in Veneta Republica

præcla-

præclarissimam familiæ Lauredanæ maximis hono ribus corruscantis non ignoret? vigeat Memoria Leonardi Lauredani Venetiarum Ducis, qui inter alia miranda ære, & sanguine proprio Patauiũ Imperio Veneto restituit: Floreat Nomen Laurentij Lauredani ob merita in patriam benegesta Procuratoris Diui Marci creati. Quid pluribus vtar verbis? Sancta Romana Ecclesia nonne quamplures Prelatos ex familia tua habuit, quos imitari omni studio, & diligentia videris? tibi igitur hęc opuscula mea Illustrissime Pręsul dico, & consacro, te enixe rogans, vt ea benigne suscipias, & singulari tua virtute, & authoritate munias, & illustres, atque à detractoribus & Zoilis veritatis clypeo defendere digneris. Vale.

Venetijs Die ij. Iunij. M.DC.VI.

ORDO CAPITOLORVM QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

De

FINIS.

Copia

Gli Eccellentiß Signori Capi dell'Illustriſs. Conſeglio di X. infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del ſtudio di Padoua per relation delli doi à ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquiſitor, & del Circ. Secret. del Senato Zuane Marauegia con giuramento che nel libro de Sponſalibus, & matrimonio, Auctore Iacobo Pamphylo Iu. Vt. D. non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di ſtampa, concedono licentia che poßi eſſere ſtampato in queſta Città.

Dat. die vlt. Maij. 1606.

D. Santo Balbi
D. Zuane Paſqualigo } *Capi dell' Illuſtr. Conſ. di X.*
D. Gierolemo Priuli

Illuſtriſs. Conſ. X. Sec.
Leonardus Otthobonus.

1606. Adì 31. Maggio.

Reg. nell'Off. con. la Biaſt. a car. 153. tergo.

Gio. Franceſco Pinardo Seg.



DE SPONSALIBVS.

PARS PRIMA.



SVMMARIVM.

1 *Vtilitas nuptiarum.*
2 *Diuinum auxilium inuocandum.*
3 *Definitio sponsaliorum.*
4 *An verba futuri temporis pręsens tempus significent & è contra.*
5 *Quando valet regula illa, si non valet quod ago, &c.*
6 *Sponsalia varijs modis accipiuntur.*



NTER alia, quę maioribus nostris admiratione digna videbantur, hoc particulatim fuit, hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum, à ceteris quoque animalibus sensu se regentibus ratione diferre: hoc quæ institutum esse, ac pendere ex nuptiarum
1 fœdere putarunt. Quantæ enim vtilitatis sint nuptiæ, nemo est quin ignoret; nam dissidium de medio, concordia firmatur, sędissimæ coniunctiones compescuntur, ciuitates populo implentur, Hostes expelluntur, Caritas in homines augetur, Deus tandem omnipotens, cuius nutu cuncta mouentur (vt ipsemet testatur, quando dixit, Fiat lux, & facta est *Nuptiarum vtilitas.*

 lux

lux. Gen. c. 1.) cognoſcitur, ac laudatur. Verum quia ſponſalia ſæpiſſime præcedunt nuptiarum fædera, propterea de his aliquid dicere non fruſtra eſſe cenſui. De ſponſalibus igitur ag-
Diuinũ numen inuocãdũ.
2 gredior, implorato prius Diuino numine, ſine quo nil ſubſiſtere valet, cum ſit vnicum fundamentum, à quo alia ſuſtinen-
Deus vnicum fundamentũ
3 tur, atque reguntur, cap. cum paulus 1. q. 1. ſponſalia ſic definiri poſſe Florentinus arbitratus eſt, ſunt futurarum nuptiarum mentio, & repromiſſio. l. 1 ff. de ſponſ. cap. noſtrates, 30. q 1. & iſte conſenſus eſt de futuro matrimonio: vnde iuriſconſultus ea dictione mẽtio, quæ ex propria ſignificatione reciprocam promiſſionem declarat, prudenter vſus eſt: quia hinc inde reciproca eſt promiſſio: non enim ſponſalia eſſent, ſi vir mulieri dicat, promitto te in vxorem ducere, & illa nullo modo doceat eum acceptare, ſponſalia tunc non ſunt vera: nam non poſſunt ex altera parte tantum contrahi, ſicut nec matrimonium. Aduertendum tamen eſt, quod ſi mulier voluerit ei nubere, ſponſus tenetur ipſam ducere, intellige tamen ſi voluerit incontinenti, & non temporis ſpacio; arg. l. continuus. ff. de verb. oblig. ſi tamẽ tacite vel expreſſe intenderit eum acceptare, vt quia inter eos agebatur de ſponſalibus, vel matrimonio, & ipſa requiſita manum dedit, vel aliter conſenſum ſignificauit, tunc contracta ſunt ſponſalia ſylu. in proph. de ſponſ. cum autem omnis definitio in iure periculoſa appareat. l. omnis definitio. ff. de reg. iu. contra hanc definitionem oppono per tex. in cap. ſi quis. 30. q. 5. vbi dare conſtat, quod ſi quis iuramento interpoſito promiſſerit in futurum, ſe aliquam habiturum in vxorem, quod illa erit legitima vxor, & tamen ibi ſunt verba de futuro; ergo mala à iuriſconſulto traditur definitio. Secundo, oppono per tex. in cap. vnico. §. idem quoque, de deſponſ. impub. in 6. vbi dicitur, quod ſi ſponſalia contracta fuerunt per verba de preſenti, valent. vt ſponſalia de futuro unde ſequitur, quod licet adſint verba de preſenti, tamen ſunt ſponſalia, & non matrimonium: ergo falſum eſt dicere, quod ſponſalia ſunt futurarum nuptiarum mentio, & repromiſſio. Ad primum glo. in d. cap. ſi quis reſpondet, hoc verbum habebo, quod eſt futuri temporis habere reſpectum ad præſens tempus, quaſi diceret te habitam retinebo; vnde fit, quod ſicut uerbum præſentis temporis fauore matrimonij, & iuris interpretatione refertur ad futurum, cap. fin. de deſponſ. impub. ita verbum futuri temporis refertur ad præſens, vt in d. cap. ſi quis. Hæc reſponſio non uidetur tuta;

Definitio ſponſaliorum.

qua-

4 quapropter melius potest responderi, quod verba futuri tempo ris quandoque denotant principium actus, & tunc in dubio cõtrahuntur sponsalia tantum, veluti si dicatur, promitto, quod ducam te vt in d. cap. de illis, & cap. pen. de spons. quandoque denotant executionem actus, veluti habebo te pro vxore, & tunc censetur matrimonium: nam non possum eam pro vxore accipere, nisi præcedat matrimonium, vt in d. cap. si quis, & Abb. in cap. ex parte. nu. 7. de spons. Ad secundum, quod illa verba de præsenti referuntur in futurum iuris interpretatione propter defectum ætatis, & hoc procedit, & inductum est speciali fauore matrimonij Couarr. lib. 4. Decret. tit. de sponsalibus, parte 1. cap. 3. nu. 3. vnde regula est, quod quotiescunque
5 actus inualidus eo modo, quo fit, comprehenditur sub eo, quo fieri poterat, tunc si non ualet eo modo, quo fit, comprehenditur sub eo, quo fieri poterat. l. tam angusti. ff. de seruit. vbi Angel. Abb. cum igitur sponsaliorum conuentio sub contractu matrimonij contineatur, nimirum est, si actus, qui non valet, ut matrimonium, ualeat tanquam sponsalia, & sic definitio sponsaliorum restat vera. Quocirca ut ueritas magis elucescat, non inficior hanc vocem sponsalia non tantum reciprocam promissionem, sed munera quoque, quæ à sponso sponsæ, vel è contra largiuntur, dici sponsalia. l. 1. C. si nuptiæ ex rescrip. pet. l. 2. C. de secundis nup. proprie tamen accipiuntur sponsalia pro solemni sponsione futurarum nuptiarum.

Quæ sit sposaliorum origo, & vnde dicantur.

SVMMARIVM.

1 *Stipulatio non est necessaria.*
2 *Si omittantur solemnitates, matrimonium non est nullum.*
3 *Sponsalia vnde dicantur.*
4 *Sponsalia adinuenta post matrimonium.*



Cum nil suauius studenti, ac cupienti sit, quàm originem, & initium rei, quam tractat noscere, ait enim, quod tempus omnia tollit: propterea originem sponsaliorum uideamus, & postea unde dicantur. Veteres nostri dignitatem, & conseruationem familiæ *Spõsaliorũ origo.* magnificientes, & vt consulerent sibi, filijsque, quorum exi-

Dilectio paterna. tium odio habent, vtilitatemue ualde diligunt. l. fin. ff. quod met. cau. cæperunt nomine suo, eorumque mulieres qualitatē propriam imitantes, inuenire, ac fidem eis præstare de matrimonio in posterum contrahendo, & stipulationem conficere, ac sæpe cum arrharum datione l. 3. & 4. ff. de spons. cap. Gemma, de spons. stipulatio tamen lector non est necessaria, quia sponsalia inter absentes per internuncios contrahuntur, cap. ex parte, de conuers. coniug. l. mulierem. ff. de ritu nup. alias si stipulatio necessaria esset, sponsalia æquidem inter absentes non contraherentur, vt instit. de inut. stip. §. inter verborum vel oportet dici iuxta communem Doct. sententiam, hoc speciale esse in hac sponsaliorum stipulatione, ut inter absentes contrahi possint, nec obstat tex. in cap. aliter. 30. q. 5. vbi matrimonium iudicatum fuit nullum, cum solemnitates omisse essent, & sic sponsalia à forciori adiudicanda sunt nulla, si stipulatio,
2 ac aliæ solemnitates non seruarentur: nam solemnitates non sunt de substantia matrimonij; consensus enim matrimonium facit, cap. sufficiat, 27. q. 2. sed tantum quò ad accidentialia, ut circa dotem arg. cap. Raynutius, de testam. Io. And. & omnes Doct. in cap. 1. de spons. & sic patet sponsaliorum origo facilli-
Spōsaliorū origo.
3 me quoq; nosci potest, unde dicantur, nā dicuntur a spondeo spondes; quod idem est, qđ promitto, hinc sponsus, quasi promissus, & sponsa quasi promissa vocatur, ut in l. 1. & 3. ff. de spons. sed post contractum matrimonij adimpleta est promissio: vnde proprie non dicuntur sponsus, & sponsa, sed maritus, & vxor ante carnalem copulam, Abb. in cap. 1. nu. 3. de spons.
4 quamobrem est uidere sponsalia inuenta fuisse post matrimonium in statu innocentiæ institutum, & stipulationes, aliasque solemnitates de iure ciuili adinuentas. l. ex diuerso. ff. soluto mat. cap. sponsam, de spons. quæ si omitterentur, peccatum esset mortale, si ex hoc ecclesia relinqueretur incerta Gof. quem refert Io. And. in cap. 1. nu. 2. de spons.

Quot sint Sponsaliorum species.

SVMMARIVM.

1 *Duæ sunt sponsaliorum species.*
2 *Quæ differentia sit inter mat. consumatum & non consumatum.*

Duæ

1 DVæ ſponſaliorum ſpecies à ſacris canonibus dantur, una de futuro, altera de præſenti, cap. pen. de ſponſ. ſponſalia, quæ de futuro ſunt, in ſe non continent purum & abſolutum conſenſum, ſed tantum tractu temporis. cap. ad audientiam, de ſponſ. vt ſi ſponſus ſponſæ ſimpliciter dicat, te in uxorem ducam, & è conuerſo; alijs quoque modis contrahuntur, vt patebit in.§.tanta eſt in fine. ſponſalia de præſenti ſunt, quæ continent abſolutum conſenſum, ut ſi dicam accipiam te in uxorem, & è contra, uel per alia verba conſenſum de præſenti exprimentia, cap. ſi inter uirum, de ſponſ. Notandum tamen eſt, quod ſponſalia ſunt idem, quod matrimonium non conſumatum: inter matrimonium conſumatum, & non conſumatum quò ad eſſentiam matrimonij nulla eſt differentia, quia conſenſus eorum, de quorum coniunctionibus agitur, ſufficit cap. ſufficiat. 27. q. 2. reſpectu uero matrimonij executionis, & futuræ copulæ, quæ in eis ſpondetur dici poſſunt ſponſalia. Abb. in cap. pen. num. 2. de ſponſ. unde appellatione uxoris non propriè, ſed large continetur ſponſa. Quatuor tamen dif-

Species ſponſaliorum duæ ſunt de futuro.

Spõſalia de præſenti.

2 ferentiæ inter matrimonium conſumatum, & non conſumatum conſtituuntur. prima eſt, quò ad ſignificationem: nam matrimonium non conſumatum caritatem, quæ eſt inter Deum, & iuſtam animam ſignificat: conſumatum uero conformitatem, quę conſiſtit inter Chriſtum, & eccleſiam deſignat, cap. debitum, de Bigamis. ſecunda quò ad religionem: nam ſi alter inuito, altero ante carnalem copulam uoluerit ad religionem tranſire, tunc non poteſt propter ſignificationem ſuperius ſcriptam, melius enim inueniri non poteſt, quàm Deo ſeruire, & hoc caſu uterque alteri reſtituere tenetur, quæ prius ab eo habuit, cap. ex publico, de conuerſ. coniug. Tertia differentia eſt quò ad Bigamiam contrahendam, putà alter coniugum uult ante conſumationem ſacris ordinibus initiari, qui prius aliam uxorem habuit, uel uiduam duxit, tunc poteſt, ſecus ſi carnalis copula interfuerit propter ſignificationem ſacramenti, ut in d. cap. debitum. Quarta quò ad affinitatem contrahendam inter uirum, & cognatos uxoris, & inter uxorem, & cognatos uiri, cap. quod ſuper his, de conſang. & aff. affinitas enim ex nuptijs tantum conſumatis contrahitur, cap. 1. de conſang. & aff.

Quatuor differẽtie inter matrimoniũ conſumatum, & non conſumatũ.

SVM-

Qui ſponſalia contrahere poſſunt.

SVMMARIVM.

1 *Edictum de matrimonio contrahendo prohibitorium eſt.*
2 *Aetas ſeptem annorum ſufficit ad ſponſalia contrah.*
3 *Muti, & ſurdi ſponſalia conttahere poßunt.*
4 *Abſentes per internuncios, vel epiſtolas.*
5 *Parentes pro filijs.*
6 *Tutores, & curatores pro pupillis*
7 *Præſides, & aliæ perſonæ prohibitę ſunt ſponſalia contrahere.*
8 *Edictum Conc. Trid. contra metum inferentes.*



Irum nequaquam eſt, cum hic quæritur, qui ſponſalia contrahere poſſunt: nam cum homo dicatur ab humo, & ſicut humus propter inęqualitatem temporis facillime corrumpitur, ita homo quamplurimis periculis ſubeſt, & ad ſponſalia contrahenda impotens redditur, cap. dilectus, de ſponſ. quadere perſonæ legitimæ à ſacris canonibus nominatæ, excepteque fuerunt, & ſunt matrimonium contrahere ualentes: ubicunque enim prohibe-
1 tur matrimonium ſponſalia quoque.l. oratio.ff.de ſponſ. nam edictum de matrimonio contrahendo prohibitorium eſt, cap. cũ apud, de ſponſ. hæc regula uera eſt in maſculo quatuordecim annis maiore, & in muliere duodecim annis; aliqui enim non poſſunt contrahere qui tamen ſponſalia poſſunt contrahere, ut
2 qui ſunt ætatis legitimæ ad ſponſalia, & non ad matrimonium, ætas enim ſeptem annorum ad ſponſalia ſufficit, ut in cap. literas, de deſponſ. impub. præſumitur enim uoluntas, quæ innaturali conſenſu quieſcit, cadere in impuberem, qui ſeptennis ſit. l. ſi infanti .§.ult. &.l. potuit. C. de iure delib. ſi tamen ab impuberibus ſeptem annis maioribus celebrata conſtiterint, licet nulla ſint, tracta uero temporis tacite, uel expreſſe conualeſcũt, cap. ſi infantes, de deſponſ. impub. niſi eſſent in fine ſeptennij, quia ſecundum. D. Tho. ſponſalia tenent; nam quod parum deeſt, quaſi nihil deeſſe uidetur. fallit, quando malitia ſupplet ætatem, quæ ſi probetur, ſponſalia ante ſeptennium contracta ualent, cap. iuuenis, & ibi glo. communiter recepta: nec obſtat quod dicatur, quod ubi certa ætas ad intellectũ, & diſcretionem

ætas ſeptennis ad ſponſalia ſufficit.

a iure

à iure requiritur, non potest malitia suppleri .l. qua ætate.ff. de test. nam communiter glo. ibi recipitur, quod sponsalia à maioribus septem annis, in quibus malitia supplebat ætatem contracta teneant: ait enim iurisconsultus satis esse impuberes intelligere quid agant.l. in sponsalibus.ff. de spons. quia in sponsalibus requiritur tantum usus rationis, secus in matrimonio, cum in cõtractu matrimonij non solum requiratur dispositio ex parte usus rationis, sed etiam ex parte corporis, ut sit tempus generationi
3 aptum, quod in muliere in anno 12.& in masculo in 14. necesse est. item muti & surdi contrahere sponsalia possunt, cap. cum apud sedem, de spons. licet passi perpetuo hæc uitia fuerint, dum modo per aliqua signa ut in fin.d.cap.cum apud, † consensum, qui adeò necessarius est, quod nulla essent, si dificeret cap. sufficiat 27.q.2.declarauerint. afflictio enim non est addenda afflicto, sicut non impediuntur, neque trahuntur, quominus possint rebus proprijs præesse, contractus celebrare, & alia, quæ sibi uidentur agere.l.item quia.ff.de pactis.l.id, quod, §.mutus.ff.de do nat. & .l.surdi.ff. de manu. uind. nec etiam sponsalia. item ab- *Muti, & surdi con trahere possunt.*
4 sentes per internuncios, uel epistolam sponsalia contrahere possunt.l.sufficit.ff.de spons.& idem secun. Host. si celebrentur de conscientia alicuius, vel postea ratum habeat .l. ult. ff. de spons. cap. honorantur 32.q.2. sponsum tamen si pænitebit literas, seu nuncium misisse, & reuocatio peruenit ad procuratorem re integra, idest antequam puella consentiret nihil actum est, arg.c. in nostra, & cap. Mandato, de procu. immo si non peruenit, antequam puella consenserit, & de hoc constiterit ecclesiæ similiter non ualent sponsalia Host. in sum.§.qualiter, nam ibi deest consensus. item Parentes pro filijs in potestate existentibus, si fi- *Absẽtes.*
5 lij fuerint præsentes, & non contradicant: si uero contradicunt, pater tunc potest illos compellere, dummodo talis coacttio non inferat metum excludentem consensum, & talis coactio uocatur coactio reuerentialis paterna, quæ non imperficit matrimoniũ car. in cap.1.de despons.impub.dixi autem si non contradicant, quia taciturnitas sufficit, ut consentire censeantur, secus si alius non pater, sed pro filio infante, ex quo eius uoluntas discerni non potest, sponsalia contrahere potest, ponendo spem in ratificatione filij, quãdo fuerit factus maior, tamen quò ad iuris uinculum nulla ex his sponsalibus oritur obligatio quò ad ipsum filium, cap.litteras, & Abb.in cap.1.de despons.impub.item si fue rint absentes, & ignorãtes, dummodo postea sciẽter ratificauerint *Parẽtes pro filijs.*

rint tacite, uel expreſſe cap. ex litteris, de ſponſ. cap. tua, de deſponſ. impub. Tutores, & curatores pro pupillis. l. ſi puellæ. ff. de ſponſ. Auunculi Procenetiſci pro alijs contrahere poſſunt, etiã ſine mandato. l. fin. eod. tit. opus tamen eſt, ut tacite, uel expreſſe conſentiant; uidentur conſentire, ſi ſcientes non contradicant. l. in ſponſalibus. 1. § in ſponſalibus uero, eod. tit. poteſt tamen filia diſſentire, ſi ſponſum moribus ſuis indignum ſibi eligant; nam conſenſus illarum perſonarum, de quarum cõiunctione agitur, requiritur in ſponſalibus. d. l. in ſponſalibus §. 1. l. ſponſalia, eod. tit. ergo ſi conſenſus ſolus parentum non ſufficit ad matrimoniũ contrahendum, ita nec ad ſponſalia, quia neceſſe eſt, quod is cuius nomine ſponſalia contrahuntur, hoc ſciat, & conſentiat, uel ratum habeat, etiam ſi filij ſint in cunabulis ſecundum Sylu. & Arm. item hæc regula fallit in Præſide & in magiſtratus exercentibus: nam licet ſponſalia contrahere poſſit, matrimonium tamẽ prohibetur. l. ſi quis officium. ff. de ritu nup. & hoc ſtatutum fuit: ne gratia, uel fauore cognatorum aliquid iniuſte, & perniciose decernatur, cum bonum ſit iudice propitium habere, ac etiam ne magiſtratus poſſint hominibus ſuæ dictionis metum incutere. huic tanto malo, quod aliquando accidere facile erat, Decretum à ſancta Trid. Sinodo emanatum fuit ſeſſ. 24. cap. 9. ubi pœna anathematis plectuntur magiſtratus directe, uel in directe ſubditos ſuos, uel alios impediẽtes ne libere matrimonia contrahãt. item mulier infra tempus luctus pænam à legibus incurrit, ſi matrimonium contrahat, ſecus ſi ſponſalia. l. ſolet. §. quæ. ff. de his, qui not. infa. quod uerum eſt ſecundum leges. ſecus uero ſecundum canones. cap. ſuper illa, de ſecun. nup. quas imitari leges ciuiles non dedignantur. cap. 1. de noui operis nunciat. cap. cum ſecundum, de ſecundis nuptijs.

Tutores 6 pro pupillis.

Præſes 7 ſpõſalia, ſed nõ matrimoniũ cõtrahit.

Qualiter Sponſalia contrahantur.

SVMMARIVM.

1 *Vnicuique in contract. licet quaſcunque cond. app.*
2 *Sponſalia abſolute contrahuntur.*
3 *Sponſalia ſub conditione.*
4 *Conditionum ſpecies multæ.*

Tanta

TAnta est hominũ malitia, quod non sola fide cõtẽti, vt facilius consilia mutare possent, confissi vnicuiq; 1 in cõtractu celebrãdo licere quascunq; cõditiones apponere. l. in conditionibus. ff. de Pactis, laborauerunt ad pacta, seu conditione iniciendas in sponsalibus contrahendis, & propterea iure hic quæritur, qualiter spõ-
2 salia contrahantur: unde dico, quod multis modis sc. absolute & cum conditione primo absolute per uerba de præsenti, re uero iuris interpretatione de futuro, putà quando contrahentes sunt, impuberes, vel eorum alter, hoc casu canones præsumunt, quod si voluerint sponsalia de præsenti contrahere & non potuerint, saltem intellexerint contrahere spõsalia eo modo, quo possunt, & sic de futuro c. fin. de despons. impub. secundo per uerba, & re de futuro ad hoc apta, ut promitto, quod te accipiam in vxorem c. pen. de spons. item fidei datione c. is, qui fidem, de despons. impub. item iuramento interposito c. Ex litteris siluani, de spons. item datis arrhis sponsalitijs scilicet pecunia, uel alijs rebus. l. arrhis. C. de spons. item annuli subarratione, ca. Tuæ, de despons. impub. primo, notandum est, quod annuli subarratio sponsaliorum dationem significat: Desponsatio uero sponsaliorum pactionem. Secundo, notandum est, quod per arrharum dationem, uel per annuli subarrationem aliquando contrahuntur sponsalia, aliquando matrimonium secundum Abb. in c. fin. de despõs. impub. nam uerba, quæ præcesserunt si sunt apta ad matrimonium contrahendum, tunc erit matrimonium, si uero erunt uer-
3 ba de futuro, erunt sponsalia, vt diffusius ibi per ipsum Abb. si sub conditione, quæ multipliciter dicitur, hæc enim conditio est quædam sponsaliorum, vel contractus suspensiua promissio, cuius effectus, & confirmatio pendet ea futuro, similiter multis mo-
4 dis. donditionum enim aliæ sunt turpes inhonestæ: aliæ turpes tantum; aliæ impossibilis: aliæ honestæ: ac tandem aliæ utiles sũt. Turpes conditiones in honestæ sunt, quæ repugnant substantiæ matrimonij. s. proli, fidei, & sacramento, putà, si quis dixerit, tecum contraham, si prolem euitabis, quæ est contra bonum prolis: item si pro quæstu te adulterandam trades, quæ est contra bonum fidei: item donec inuenero aliam ditiorem te, quæ est contra bonum sacramenti, quod est indissolubile uinculum. hæ cõditiones impediunt sponsalia, uel matrimonium contrahendũ, & si contrahatur nullum reddunt, c. fin. de cond. appos. aliæ turpes, ut si furtum feceris, uel occideris: aliæ impossibiles, ut si digi-

Spõsalia multis modis cõtrahuntur.

Sub conditione.

Conditionum genera.

to cœlum tetigeris, ducam te in uxorem: hæ conditiones cura non sint contra substantiam matrimonij, ut non appositę reputantur, & tenet matrimonium, ut in. d. cap. fin. cum summa ratio sit, quæ pro religione facit: aliæ sunt honestæ, ut si patri meo placebit, c. super eo, de cond. appos. aliæ utiles ut si centum mihi dederis, tecum contraham, c. de illis, de cond. app. hæ operantur, ne sponsalia celebrentur, donec effectum adheptæ fuerint ut in d. c. super eo: si tamen sponsus pure consenserit, uel sponsam cognouerit, uidetur tacite ab huiusmodi conditionibus recessisse: nam semper præsumitur non animo fornicandi, quod esset peccatum mortale, sed ipsam in uxorem habendi accessisse, ut in. d. c. de illis, & c. per tuas, de cond. appos. animaduertendum tamē est, quod si apponatur conditio illa pecuniæ per modum pęnæ, quæ nulla est, cum matrimonia debeant esse libera; secus si per modum conditionis: quod idem dicendum est de arrhis; nam pęna est odiosa, metum solutionis infert, & consensum, qui liber debet esse, excludit, sed arrha est fauorabilis, sicut & matrimonium, & ideo potest esse in matrimonio, c. gemma, cap. per locum, & cap. Requisiuit, de spons.

E ffectus Sponsaliorum.

SVMMARIVM.

1 *Peccat non soluens promissum.*
2 *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.*
3 *Dubia in tutiorem partem interpretanda.*
4 *Præsumptio iuris, & de iure contrariam indirecte recipit probationē.*
5 *Virginitas per osculum uidetur debilitata.*

OMnis agens agit propter finem, ait sapiens: unde fit, qđ hic quæritur ad quid teneātur sponsalia cōtrahētes, & per consequens quem effectum pariant sponsalia ipsa. communis sententia est, ac iure cauetur sponsum sponsam in vxorem ducere teneri, & ē cōtra, ita ut inter eos matrimonium consistat, & nolentes (nisi adsit impedimentum) præmissa monitione per ecclesiasticam censuram contrahere, & consumare compellendos, c. ex litteris siluani de spons. & peccat mortaliter non soluens pro missum secundum

Primus effectus.

1

cundum D. Tho. nam in omnibus cōtractibus is, qui contrahere promisit, licet nondum contraxerit, contrahere tamen tenetur. l. si fideiussor. §. meminisse .ff. de leg. 1. l. is, qui stipulatus sit sticum. §. ult. ff. de verb. oblig. etiamsi in hac promissione iuramẽtum præstitum nequaquam fuerit, c. De illis el 1. vers. mulierem, de despons. impub. iuramentum enim non facit matrimonium, sicut nec copula, sed addit maius uinculum: si iudex tamen uiderit unum, vel ambos adeò obstinatos, ut nullo modo possit, seu possint ad matrimonium perficiendum induci, ipsos nō compellere, potius uero admonere debet, cum coacte nuptiæ plerumq; infelices exitus habere soleant, c. Requisiuit, de spons. ecclesia. n. nec vult, nec potest aliquod matrimonium constituere sine consensu eorum, qui coniungendi sunt, quia si inuiti coniungerentur, impediretur finis, ad quem tendit matrimonium: nam non bene procederet procreatio, atque educatio prolis; item inuitis sic copulatis ad alios coitus fornicarios occasio facillime daretur, atque illa animorum coniunctio omnino cessaret, sed hæc intelliguntur de his, qui contraxerunt post pubertatem, uel qui ante, sed non possunt obtinere ab ecclesia absolutionem, cum uenerint ad pubertatem. unde subinfertur ecclesiam quandoque tollerare minus malum præsens ad euitandum maius malum futurum, c. Requisiuit, de spons. ecclesia enim meretrices in ciuitatibus tollerat ad euitanda adulteria, incestus, aliaque luxuriæ crimina. ait enim D. August. lib. 2. de ordine c. 4. tolle meretrices, & sodomia totus efficietur reprobus; unde sequiritur minus. malū boni uicem habere, si maiori malo comparetur. illud obiter animaduertendum est, aliud esse offerre materiam minoris mali,
2 & aliud inducere ad minus malum, ut maius euitetur: illud .n. licet, hoc uero peccatum est, cum non sint facienda mala, ut eueniant bona, nec minora mala, ut maiora euitentur; c. scriptum, 14. q. 5. iudas fratribus minus malum obtulit nempe venditionẽ Ioseph. ut euitaret maius malum .s. occisionem. Quadere Rubẽ eodem animo euitandi homicidium eisdem fratribus dixit, ne occidamus eum, sed proiiciamus in cisternam ueterem? secundus effectus sponsalia in matrimonium transire, si post contracta sponsalia etiam sub conditione subsequatur carnalis copula, c. is, qui fidem, de spon. & c. de illis, de cond. app. & eo magis si post sponsalia ante coitum cum sponso, fuerit sponsa cum alio fornicata, licet enim per huiusmodi fornicationem sponsalia dissolui possint, ca. Quemamodum, de iur. iur. si tamen altera pars, cui Secundus effectus.

fa cta est iniuria, uoluerit, ut ualeant, tenent, donec iudicio ecclesiæ fuerint dissoluta, glo. in c. De illis, de despons. impub. nam ex eo quod canones uelint ex sola copula sine nouo consensu matrimonium inter eos decernere, non enim concubitus, sed consensus matrimonium facit c. sufficiet 27. q. 2. sed quia ecclesia præsumit in illa carnali coniunctione consensum cõiugalem interfuisse, ac sponsum potius. promissionẽ ad effectum deducere vo-
3 luisse, quàm crimen fornicationis committere, quod peccatum mortale esset. l. meritò. ff. pro socio. vnde fit quod ubi vertitur periculum animarum, si incerti sumus, interpretationem in tutiorem partem eligendam fore. hæc igitur præsumptio dicitur iuris, & de iure esse, aduersus quam probatio in contrarium non ad-
4 mittitur. l. Antique. C. Ad sena. Cõs. Vell. & l. fin. C. Ad Maced. nisi probatio huiusmodi præsumptioni indirecte, & per obliquũ obuiare, ut nisi sponsus, qui contra matrimonium stat, probare uelit, ipsa sponsalia ante coitum fuisse mutuo consensu, uel aliàs legitime soluta, ut in c. 2. despõs. uel nulla fuisse propter aliquod impedimentum, tunc admittendus est secundum Abb. in d. c. is, qui fidem. Fel. in cap. Cum M. de const. Couarr. in tract. de spõs. in c. 4. §. primo, nu. 7. Post conc. Trid. tamen sess. 24. de reformat. mat. c. 1. ver. Qui aliter, spon salia per carnis copulam in matrimonium non trãseunt, nisi adsit præsentia parochi & duorum, uel trium testium, sed tamen uel eam deceptam in facie ecclesiæ in uxorem ducere tenetur, uel ipsam dotare iuxta propriam qualitatem ipsius mulieris arg. in. l. si filiæ. ff. de leg. 3. Nau. de mat. nu. 76. Tertius effectus est: quod nolens matrimonium contrahere post sponsalia perdit arrhas, quas dedit arg. in ca. Gemma, de spons. si uero soluit sponsalia is, qui arrhas accepit, restituit eas, & aliud tantum de suo, & nonplus nisi aliud à partibus dictum fuerit. s. ut pæna arrharum extendatur in quadruplum, tunc usque eò extendetur, & non ultra. l. mulier primo responso. & §. quadrupli. C. de spons. nam in sponsalibus pœnis legalibus debemus esse contenti, & si in contractu alia deducatur, quam legalis non ualet. l. stipulatio si ita facta. ff. de uerb. oblig. cessat tamen pœna, si conditio uel causa legibus fuerit reprobata, quia qui de facto contraxerunt sponsalia, de iure non potest inter eos matrimonium consistere. l. mulier. §. Quæsita. C. eod. tit. Quartus effectus est: altero desponsorum uiam uniuersæ carnis ingresso, superstes res sibi donatas restituit eius hæredi nisi præmortuus fuisset causa, ne matrimonium sequeretur. l. 3. & l. ar-

Tertius effectus.

Quartus effectus.

5 rhis .C. eod. tit. hæc regula limitatur, quando sponsa à sponso osculata fuerit: nã uirginitas (vt vulgo fertur) ipsius puellæ quodammodo uidetur debilitata, & tunc inuitu osculi pars puellæ debetur, altera uero hæredi defuncti. l. si à sponso. C. de donat. ante nup. Quintus effectus est, quod oritur impedimentum publicæ honestatis, quod olim efficiebat, ne sponsalia contraherẽtur inter consanguineos sponsi, & sponsam, & è contra usque ad quartum gradum, quando sponsalia dirimebantur morte, uel alia causa c. Ad audientiam, & c. sponsam, de spons. superueniente uero inter eos carnali copula oritur aliud uinculum .s. affinitatis c. super his, de consang. & aff. an uero sufficiat in dispensatione facere mentionem de affinitate tantum, si publica honestas concurrit cum affinitate inferius patebit in impedimento affinitatis, nisi sponsalia essent nulla, uel ætate impediente, uel consensu deficiente, Host. in sum. nu. 8. de despons. impub. ca. 1. de despons. impub. in 6. quia tunc nullum impedimentum contrahitur. Edictum tamen emanatum fuit a sancta sinodo Trid. sess. 24. de reformat. mat. c. 3. quo deciditur, impedimentum publicæ honestatis primum gradum non excedere. animaduertendum tamen est, sacros canones olim induxisse duplex vinculũ publicæ honestatis, unum ex ponsalibus, aliud ex secundis nuptijs; essemplum, matrimonium contraxi cum Lucretia, ea mortua ad secundas nuptias euolaui, ac filios suscepi, hi filij contrahere cum consanguineis primæ uxoris impediebantur, c. si qua mulier 35. q. 10. sed hodie hæc species publicæ honestatis sublata est c. Non debet, de consang. & eff. & sic filij, filiæue uolentes possunt cum consanguineis primæ uxoris, & è contra libere cõtrahere. d. c. Non debet. Sextus effectus est; quod si sponsalia incerta fuerint; hoc modo contraxi sponsalia cum una ex filiabus, quas habebas, postea uni earum adexi, & etiam carnali copula cognosci: tunc matrimonium inter me, & illam cõsistit Abb. in c. ex litteris el. 2. de spons. septimus effectus est; sponsalia in matrimonium transire, etiamsi contracta essent duo sponsalia, secũda tamen sponsalia per carnis copulam: secunda in matrimoniũ transeunt c. is, qui fidem, de spons. ampliatur hoc etiam si sponsalia fuerint iurata.

Quintus effectus.

Sextus effectus.

Septimus effectus.

Qualiter Sponsalia dissoluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Quando iuramentum per partes remitti potest.*

2 ***Sponsa sponsum vagabundum sequi non tenetur.***
3 ***Sponsalia in duobus tantum casibus ipso iure dissoluuntur.***

Spōsalia de futuro multis modis dissoluūtur

NAturale fœdus hac singulare patitur, quod omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. vnde fit, quod sponsalia de futuro multipliciter, & primo per mutuum dissensum dissoluuntur, quemamodum solo consensu celebrantur c. præterea, de spons. sicut, & societas communi consensu contrahitur, ita, & communi dissensu dissoluitur. l. verum. §. pen. l. actiones. §. dicimus. ff. pro socio; hoc uerum est, quando vterque dissentit, secus si alter consentiret, tunc præcise compelleretur, qui dissentit, donec in eodem statu maneret, si autem sponsalia contraxerit dissentiens de præsenti, tūc cessabit ipsa coactio, Inn. in c. sicut, de spons. Io. And. in. d. c. præterea: cum enim sola promissio in sponsalibus intercedat, ab hac promittentibus licet discedere, etiamsi sponsalia iuramento fuerint firmata, vt tradunt Doct. in d. c. præterea,
1 & Specu. in tit. de leg. §. nunc ostendendum: nec obstat dici, iuramentum non posse remitti à partibus hac ratione, ne creatus in creatorem, & inferior in superiorem auctoritatem habere uideatur. l. ille, à quò. §. tempestiuum. ff. ad sen. cons. trebell. nam verū est si primaria obligatio acquiratur Deo principaliter, vt quia pietatis causa vult cum meretrice contrahere, ut in c. inter opera, de spons. & tunc non potest per partem remitti: aut iuramentum præstatur homini propter aliquod bonum temporale, putà iuraui cal. Decembris centum tibi dare, quadam animi gratitudine distulisti solutionem ad cal. Martias, tunc non sum periurus, Deus etiam remittit, & differt solutionem ipsam, Abb. in c. 1. de iur. iur. & Io. And. Inn. in d. c. præterea. Secundo sponsalia dissoluuntur fornicatione sequuta; sponsa enim si post sponsalia cum alio se immiscuit sponsus inuitus compelli non potest ipsā in vxorem ducere, c. Quemamodum, de iur. iur. sicut ex aduerso si sponsus fornicatus fuerit cum alia, sponsa si nollet eum in uirum habere, non cogeretur; non enim ad imparia sunt iudicandi, c. ex litteris, de Diuortijs: hoc tamen intelligitur, si is, cui facta est iniuria non intenderit contrahere, si autem vult tunc sponsa compellenda esset assentiri, ne ex fornicatione commodum uideatur reportare: ampliatur etiamsi mulier ui præcisa esset cognita, adhuc sponsus posset ipsam respuere, ac dissolutionē spōsaliorum petere, glo. in c. Raptor, 27. q. 2. glo. in. d. c. Quemad-

modum uer. oculos in fin.& ibi omnes Doct.secus uero de præsenti: nam sponsus dissolutionem quò ad thorum & non quò ad uinculum petere posset, & idem à fortiori in fornicatione spirituali per hæresim, uel infidelitatem. Tertio, dissoluuntur sponsalia ipso iure per matrimonium uerbis de præsenti contractum etiam non sequuta copula, c. sicut, de spons. nisi sponsam antea carnaliter cognouerit, c. Veniens el 2. de spons. neç obstant uerba in c. 2. de sponsa duorum, ubi habetur illum uxorem acceptã, quæ cum alio contraxerat dimittere teneri, nam textus ille loquitur de sponsalibus præsenti consensu celebratis quæ nullo modo dissolui possent etiam carnali copula interueniente, cap. pen. de spons. secus in sponsalibus de futuro, quæ tolluntur per sponsalia de præsenti, nisi postea subsequatur copula, c. 1. de sponsa duorum, peccauit tamen mortaliter cognoscens secundam dimissa prima: limita uero nisi subesset iusta causa. Quarto dissoluuntur propter affinitatem superuenientem, ut si quis sponsalia contraxerit cum Berta, & postea eius consanguinem cognouerit, non amplius poterit cum Berta matrimonium consistere, c. veniens, de eo, qui cog. consang. ux. suæ, & c. super eo, de consang. & aff. quo in casu si sponsalia essent firmata, idest per iuramentum ad minus duo testes exiguntur, alioquin si non erant firmata ad dictum vnius soluuntur Host. in sum. eod. tit. Quinto, dissoluuntur propter infirmitatem superuenientem corporalem, dummodo talis sit, quæ reddat contrahentem inhabilem, ut quia nasum amisit, uel lepram incurrit, uel aliud simile, c. litteras, de coniug. le pro. c. Quemadmodum, de iur. iur. & hoc inductũ est, ne sibi inuicem displiceant, & matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur; nisi tamen hæc eueniant post contractum. sexto, propter fugam sponsi, si enim sponsus ante carnalem copulam se transtulerit ad aliã prouinciam, & inueniri non potest, si terminus appositus non sit expectandum est tempus legale .s. per triẽnium. l. 2. C. de repud. si uero sponsus moratur in eadem prouincia, tunc per biennium expectabitur. l. 2. C. de spons. si tamẽ iusto impedimento detineatur, quominus possit uenire, tunc expectabitur quousque cesset illud impedimentum. l. sæpe. ff. de spons. hæc regula uero limitatur nisi iudici uideatur tempus abbreuiandum, ne deterius inde contingat. s. periculum fornicationis, c. Veniens, Qui clerici, uel Vouen. non enim sponsa tenetur
2 sponsum uagantem sequi, arg. in. l. Quod nisi fiat. §. ex prouincia. ff. de ope. lib. c. si quis, 24. q. 2. ampliatur etiamsi sponsalia fuerint

fuerint iurata ut in c. De illis de sponſ. licet enim aliquando prō-ptus ſit ſpiritus, caro tamen infirma eſt, arg. in cap. fin. de eo, qui cog. conſ. ux. ſuæ ſi uero tempus à partibus præfixum fuerit, eo elapſo, tunc ſponſa noua ſponſalia cum alio contrahere impune poterit, & ſponſo de fide mentita p ęnitentia iniungenda erit, c. ex litteris, de ſponſ. ſeptimo, ſi ſponſus ad religionem tranſeat c. Veniens, Qui clerici, uel uouen. nam ſi matrimonium ante cō-pulam per ingreſſum religionis diſſoluitur. ēt quò ad uinculū c. Ex publico, de conuerſ. coniug. & c. Ex parte, de ſponſ. à fortiori igitur ſponſalia ita ſoluuntur ipſo iure, nec obſtat, ut dicatur, qđ ſi iuramentum interuenirit non poſſe, nam iuramentum in melius ſemper mutari poteſt, c. Commiſſum de ſpōſ. & ibi Doct. ſi tamen non intraret religionem, non pōt compellere ſponſā, ut ad illam reddeat, obligatio .n. ſemel extincta, nō renaſcitur c. Quæris, de cōſec. diſt. 4 nec incurrit pęnam arrharum. l. Deo nobis. C. de Epiſcopis, & cle. Octauo, diſſoluuntur, ſi ſuperuenerit capitalis inimicitia inter ſponſ. tunc poteſt peti diſſolutio, ne deterius inde contingat, c. ſeculares 33. q. 2. nam eam forte interficeret, quia quod non diligit, facile contemnit c. Pręſens clericus 21. q. 3. Abb. in c. Requiſiuit nu. 4. de ſponſ. Nono, ſi impuberes poſtquam effecti ſunt puberes, reclamant ad diſſolutionem, licet in impubertate non potuiſſent, tunc diſſolutio fit c. De illis, & c. A nobis, de deſpōſ. impub. ētſi nulla ſubſiſtat cauſa. Abb. in c. De illis, de cond. app. Decimo, ſi conditiones non impleantur, dummodo poſtea nō ſequuta ſit copula vt in. d. c. De illis: Vndecimo propter votū caſtitatis ſimplex, ſi præceſſerint ſponſalia ēt iurata, nā tunc impedit, & dirimit c. Veniēs, Qui cle. uel uouen. ſecus ſi poſt ſponſalia, cū alter in præiudiciū alterius vouere nō poſſit, Inn. & Abb. in. d. c. Veniens. denique diſſoluuntur ſponſalia propter cauſam ſuperueniētē, quæ ſi à principio apparuiſſet, nūquā celebrata extitiſſent.
3 Duo caſus patēt, quibus ipſo iure diſſoluūtur ſponſalia .ſ. per ingreſſum religionis, & per ſponſalia de pręſenti contracta, aut quia notorie fornicatus eſt, & in omnibus caſibus generaliter, in quibus cauſa diſſoluendi inuenitur, quia notoria eſt quò ad ueritatem .ſ. quia uera eſt, & quo ad iuſtitiam ſ. quia de iure ſufficiens eſt, ut quia in iure expreſſa eſt ſylu. uerbo ſponſalia q. 11. & Nau. c. 22. nu 28. in cęteris autem auctoritas iudicis interuenire debet coram quo cauſa p̄obetur, ca. Porro, de Diuort. alias grauiter peccaret, cap. ſeculares 33. q. 2. Hæc Io. And. in cap. dę illis, de ſponſ.

DE



DE MATRIMONIO.

PARS SECVNDA.



SVMMARIVM.

1 *Definitio matrimonij.*
2 *Coniunctio matrimonialis consensum exigit.*
3 *Pena contrahentium nephandas nuptias.*
4 *Præceptum Apostoli in coniuges.*
5 *Alter coniugum inuito altero votum emittere nequit.*
6 *Matrimonium inter eiusdem sectæ existentes tantum esse potest.*



VM eram paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam, ut paruulus, cogitabam, ut paruulus, cum autem factus sum vir euacuaui, quæ paruuli erant. prima ad Corinth. 12. quapropter de sponsalibus, quę paruulorum sunt, ca. litteras de despons. impub. l. in sponsalibus. ff. de ritu nup. meritò differuimus, qui postquam effecti sunt viri euacuarunt quæ ad paruulos spectant, & ad matrimonia celebranda minus prohibentur, c. continebatur, de desponś. impub. l. minorē. ff. de ritu nup. ad matrimonium ideo accedamus, & prius quid sit matrimoniū
1 discutiamus; matrimonium igitur est maris, & fæminæ coniun- *Definitio*
ctio in diuiduam uitæ cōsuetudinem retinens diuini, & huma- *matrimo*
ni iuris communicatio. l. 1. §. huius studij. ff. de iustitia, & iure. l. 1. *nij.*
ff. de ritu nup. quamobrem coniunctio ponitur tum animorum, quæ vnionem inter Deum, & iustam animam, tum corporum

inter Christum,& ecclesiam significat, c. debitum, de Big. qua quidem coniunctione alter alteri se tradit ad coniugalem vsum expresse, vel tacite, atque in hac coniunctione consistit consen-

Cōsensus matrimonii facit.

2 sus. unde nuptias non concubitus, sed consensus facit. l. nuptias, de reg. iu. vel dicitur coniunctio, quia legitima debet esse propter impedimenta, quæ inferius erunt nota. Dicitur maris, & fęmi-

3 næ, quia in eodem sexu matrimonium consistere nequit: immo taliter contrahentes pœna mortis puniuntur. l. cum iur. C. Ad leg. iul. de Adulterijs, secundum canones, si sunt clerici tali uitio laborantes deponuntur, & in monasterium ad agendam perpetuam pęnitentiam detruduntur: si laici excomunicationis gladio plectuntur, c. Clerici, de excess. prælat. item dicitur maris, & fęminæ, quia ab initio non fuerunt creati duo homines, uel mulieres duæ, sed vnus mas, & vna fæmina. nam post creationem Adæ Dominus Deus immissit soporem in eum, cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & edificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem Gen. c. 27. & 28. c. gaudemus. §. uerum absonum, de diuortijs. item dicitur maris & fęminæ, & non in plurali marium, & fæminarum: quia nec vnus mas plures fæminas, nec una fæmina plures mares habere potest, nec debet: licet Patriarchæ, & alij uiri iusti plures habuisse vxores legantur: hoc eis licuit ex diuina dispēsatione. d. c. gaudemus. §. nec ulli. unde Apost. Paulus

Prçceptū Apostoli.

4 ad Ephesios scribens hæc uerba protulit: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adherebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna, & non dixit tres, uel plures, sed duo: nec dixit adherebit vxoribus suis, sed uxori suæ. d. c. gaudemus. §. uerum absonum: indiuiduam additur, quod naturam indissolubilis vinculi declarat, nam vir, & vxor eiusdem propositi, & uoluntatis esse debent: ut donec in hoc seculo vixerint, semper simul erunt ca. fæminæ 30. q. 5. c. si quis sortiarias 32. q. fin. uel indiuiduam quia

Debitum coniugii.

vinculum est indissolubile, & vterq; coniugum fidem seruare, ac debitum coniugale reddere, & se mutuo in administratione familiari tractare debet, c. Audientia de conuer. coniug. & neuter

5 eorum sine alterius consensu uotum abstinentiæ ut ieiunij, c. manifestum, & c. placuit 33. q. 5. & continentiæ emittere potest, c. vestram, de conuer. coniug. nec obstat, c. 1. de reg. iu. ubi hæc uerba stant, & iacent, quod omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur, sicut matrimonium communi consensu contrahitur, ca. sufficiat 27. q. 1. ita communi dissensu dissolui-

soluitur, & sic indiuiduam uitæ coniuges seruare nequaquam tenentur, nec secundo obstat, c. dixit Dominus 32.q.1. ubi dicitur quod propter fornicationem alter alterum dimittere potest, & sic per consequens ibi indiuiduitas non non seruatur. Ad primũ respondeo, quod contractus à principio semper sunt uoluntatis, & ex post facto necessitatis, arg. in l.1.ff. de pactis, & c. qualiter, de pactis, & præcipue hac in casu, cum matrimonium iure diuino sit institutum, iureq; humano approbatum, quod.n. Deus cõiunxit homo non separet, ca. de infidelibus, de conuers. coniug. Ad secundum, quod intelliguntur uerba illa saltem quò ad propositum animorum, & dicitur indiuiduam respectu matrimonij consumati, ac legitimi inter fideles, cuius uinculum . nunquam dissoluitur etiam propter fornicationem, nisi quò ad thorum ca. ex parte, de spons. secus de matrimonio infidelium, quod non est omnino firmum.d. c.gaudemus.§. super quo, nisi ratificetur per fidem Christi.d.c.gaudemus.§.quod si conuersũ: additur uitæ, quasi diceret, quamdiu uiuent, est indiuiduum, ut in.d.c.feminæ. post mortem enim dissoluitur c. cum secundum, de secun. nup. cum mors omnia tollat, ut in Authẽt. de nuptijs: item additur Diuini, & humani iuris communicatio: quia matrimonium contrahentes debent esse eiusdem cultus, nam si sunt disparis
6 cultus, putà unus iudeus, alter paganus, & alter christianus: tunc inter eos matrimonium nequaquam esse potest: immo si de facto esset, ipso iure dissoluitur.l.nequis.C.de iudeis: Humani iuris additur Azo. intelligit quò ad matrimonium secundum legem humanam contrahendum, & hoc tantum quò ad solemnitates: nisi canonica contraria reperiretur; quia si matrimonium legitime contractum sit, mulier sequitur forum uiri.l. exigere.ff.de iudicijs: secus si non teneret. item ratione matrimonij aliquoties agitur secundum leges ad decapitationem propter adulterium, l.Quamuis adulterij.C.Ad leg.iu. de adult.

Matrimoniũ inter fideles tãtũ cõsistit

Matrimonium varie vocatur.

SVMMARIVM.

1 *Quot sunt vocabula matrimonij.*
2 *Mulier velata incedere debet.*



Voniam cum penes sacros canones, tum apud leges ciuiles matrimonium uariæ, diuersimodeque nominatur: ideo sequitur quot uocabula matrimonium
1 habet. Porrò matrimonium quandoque nominantur nuptiæ, & dicuntur nuptiæ à nubendo, quod est proprium mulieris, vel ab obnubendo, idest à uelando: quia nu
2 pta uelata debet incedere, ut nouat se subditam uiro fore, c. Hęc imago 33. q. 5. vel dicuntur nuptiæ à nube: nam sicut nubes tempus offuscat & turbidum reddit, sic debent offuscare nuptam, ut omnibus reddatur obscura, & turbida præterquam uiro suo. secundo uocantur cōnubium, ex eo quod uir, & mulier simul nubunt, cap. cōnubia 32. q. 2. Tertio, consortium. l. si. donatio. C. de nup. quia simul morantur. Quarto, coniugium, quia simul coniunguntur mas & fæmina, c. aliquando, 32. q. 2. quandoque, & ultimo dicuntur contubernium, quod est matrimonium seruorum, de quo in. l. cum ancillis. C. de incest. nup. sicut, & contubernium dicitur et ā in sacerdote, c. sane sacerdotes, de cle. cōiug.

Varia nomine matrimonij.

Matrimonium vnde dicatur.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium dicitur à matre.*
2 *Patrimonium vocatur à patre.*



T diligentiores in filios reddantur parentes; ideo pater, & mater diuersis nominibus decorantur: unde fit, quod hoc nomen matrimonium originem
1 duxit à matre, & munium idest officium: nam ex eo mulieres fiunt matres, & licet à digniori debeat fieri denominatio, & tantum uotum in liberos uir, quemadmodū mater habet. l. liberorum. ff. de verb. signif. quia tamen maius exercitium, uel officium circa liberos exercet, quam pater; nam ante partum est onerosa propter prolem cōceptam, in partu dolorosa ob prolem in lucem edendam, post partum laboriosa in prole educanda, ac mammis proprijs nutriēda exemplo Mariæ Virginis, c. ex litteris, de conuers. infidelium: propterea in hono-
2 rem eius dicitur matrimonium. d. c. ex litteris. vnde eadem ratione, Patrimonium à patre denominatur: cum uir magis, ac uirilius laborat in acquirendo, quàm mater, uel quia si in uno gra-

Officia matris in filios.

uatur,

natur, in alio debet releuari, arg. in cap. 1. de Parochijs. l. cum, qui. ff. de iur. iur.

De ipsius institutione.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium in statu innocentiæ institutum fuit, & ad quid.*
2 *Magnitudo huius sacramenti.*
3 *Post peccatum iterum fuit institutum, & ad quid.*
4 *Matrimonium contractum propter diuitias, & alia, an teneat.*
5 *Quibus verbis institutum fuit.*

SEcundum temporum varietatem, uaria quoque statuuntur, atque instituuntur: qua de re matrimonium diuersis temporibus statutum, & institutum fuit, & 1 primo institutum fuit in statu innocentiæ .s. in paradiso terrestri in officium naturæ, idest ad multiplicationem prolis propter reparationem angelorum, c. sicut non omnis §. his ita 32. q. 2. eiusque auctor, & institutor fuit Deus, c. 1. de voto, lib. 6. Gen. c. 2. & sit excellit alia sacramēta ratione temporis, 2 nam ab initio mundi fuit institutum: item ratione loci, quia in paradiso terrestri, ut in d. c. 1. item ratione status, quia ante peccatum 32. q. 2. §. his ita respondetur. alia uero sacramenta instituta fuere post peccatum: item ratione communitatis, quia omnes ferè gentes matrimonium contrahunt, Abb. in c. fin. nu. 5. & 8. de frig. & malef. quamobrem dicendum est, quod est de iure diuino quò ad institutionem; item est de iure naturali, quò ad institutum, & bonum matrimonij, quod est proles: item de iure gē3 tium, quò ad consensum, quo contrahitur: item de iure ciuili, & canonico, quò ad solemnitates. Post peccatum uero, quia homo sibi suæ imbecilitatis conscius est, nec carnis copulam vult ferre: ideo ad depellendam fornicationem, aliaque carnis peccata, Apost. ad Corinthios scribens, c. 7. illud instituit, unde ait, unusquisque habeat uxorem suam, & unaquaque uirum suum propter fornicationem, non dico exercendam, sed uitandam Abb. in c. consultationi, nu. 2. de frig. & malef. & in c. cum locum, nu. 8. de spons. si autem non propter principales causas, .s. prolem 4 suscipiendam, & fornicationem euitandam, sed ob alias causas secundariè .s. personarum coniunctionem, uxoris pulchritudinem,

Institutio matrimonij.

Secunda causa matrimonij.

Matrimoniũ propter pulchritudinem diuitias, & alia contractũ tenet.

nem, diuitiarum acquisitionem, pacis reformationem, matrimonium contrahatur tenet; cum matrimonij sanctitati non repugnent, c. vbi, de despons. impub. uidetur. n. quærere matrimoniũ medium propter illam causam, vt finem, & ideo consensus de præsenti sufficit, c. solet quæri 30. q. 1. secus si principaliter: quia propter deordinationem esset peccatum mortale sylu. uerb matrimonium 4. q. 4. Nau. de mat. nu. 79. Iacob in Gen. c. 17. & 18. uidens, quod Rachel erat decora facie, & uenusto aspectu, eam diligens, ait ad labam, septem annis seruiam tibi pro Rachele. ergo uita mala, & intentio alicuius peruersa non contaminat coniugij sacramentum: item in solatium humanitatis ut in senibus, c. omne itaque 27. q. 2. Dauid in xorem duxit Abisac nō spe prolis, aut timore fornicationis, cum nunquam eam cognouerit, sed tantum, ut eum calefaceret. 3. Reg. Tandem matrimonium institutum fuit uerbis Adæ ore profetico, Host. in sum. de spons. Gof. ibidem, quando dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, & cet. verba autem illa crescite, & multiplicamini dicunt fuisse potius uerba benedictionis, quam institutionis.

Quot sunt species Matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonij species duæ sunt.*
2 *Quid significat matrimonium non consumatum.*
3 *Quid matrimonium consumatum.*
4 *Matrimonium cum consumatum, tum non consumatum triplex est.*
5 *Matrimonium aliud ecclesiasticum, & aliud temporale.*

Duæ sūt species matrimonij.



1 Vm cælibatus coniunctione matrimoniali præciosior ac dignior sit, ut in Conc. Trid. sess. 24. cap. 10. Quot sunt igitur matrimonij species perquirendum est: unde est videre duas esse species: nam aliud de præsenti sine copula quod est, matrimonium non consumatum, & dicitur perfectum sanctitate, ut fuit inter Mariã,
2 & Ioseph, c. beata, & c. coniux 27. q. 1. quod significat dilectionẽ inter ipsos coniuges futuram, quam Deus per gratiam ipsis coniugibus nectit: significat etiam specialem unionem Christi, & ecclesiæ idest Christi & animarum fidelium; & aliud per copulam
3 consumatum, & dicitur perfectum significatione, nam represen

Secunda species matrimonij.

tat,

tat, & significat coniunctionem Christi cum unica sponsa eccle sia per carnis assumptionem, & sic coniunctionem diuinitatis cum humanitate iuxta illud, & uerbum caro factũ est. c. debitũ, de Bigamis, c. cum societas 27. q. 2. unde sponsa sponso est carita te, siue specialiter, ac naturæ conformitate siue corporaliter co-
4 pulata, ut in. d. c. debitum, & secun. Host. in sum. eod. tit. §. & qua liter, nu. 32. triplex est: Primum est legitimum & non ratum; pu tà inter infideles contractum, dico legitimum legali institutione, uel prouinciæ moribus, & dico non ratum, quia sine fide est. unde August. non est ratum coniugium, quod sine fide est ca. 1. uer. item, 28. q. 1. secundum, quod ratum, & non legitimum antiquitus uocabatur, putà quando inter fideles, & legitimas personas sine legitimus solemnitatibus, sed solo affectu contrahebatur, quod clandestinum appellatur, c. cum inhibitio de cland. de spons. sed hodie nullum est, ut tex. est in Conc. Trid. de Reformat. mat. c. 1. Tertium appellatur legitimum, & ratum: putà quãdo inter fideles, & legitimas personas, solemnitatibus seruatis cõ
5 trahitur. c. si quis. §. fin. 28. q. 1. & hæc satis de matrimonio carnali. nam aliud dicitur ecclesiasticum quod inter episcopum, & ecclesiam consistit c. quanto, & c. licet de translat. episcop. Aliud est spirituale, quod inter Christum, & animam nostram per ingressum religionis contrahitur tot. tit. de conuers. coniug. quæ ad rem nunc non faciunt.

Matrimonium siue consumatum siue nõ triplex est.

Matrimoniũ aliud ecclesiasticum, et aliud spirituale.

Quot sunt bona matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Tria sunt essentialia matrimonij.*
2 *Quæ in fide, prole, & sacramento attendantur nu. 3. & 4.*
3 *Matrimonium tribuit tria remedia contra concupiscentiam.*

Matrimonij finis, seu bona tria sunt, saltem quò ad propositum. s. Fides, Proles, & Sacramentum, cap. omne itaque 27. q. 2. quæ bona in cap. fin. de cond.
1 appos. appellantur essentialia idest vno vel omnibus deficientibus ex consensu partium ante matrimonium expresso, nullum redditur matrimonium ipsum in fide attenditur, ne post vinculum coniungale cum alio, vel alia coeatur, cap. ex parte, de spons. vt se inuicem diligant iuxta illud

Tria sũt bona matrimonij.

Euan-

Euangelij, Matth.cap. 19. quare relinquet homo patrem, & matrem, & adherebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, & debitum reddant: vnde Apost. ait, mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, c. sunt qui, c. multorum, & c. Agathosa 27. q. 2. seispsosque fideliter, & incorrupte custodiant, c. origo 32 q 4. ne ut adulteri se ament, sed ut Christus dilexit ecclesiam, vt ipsemet Apost. testatur ad Corinthios scribẽs, c. 74. uiri diligite uxores vestras, sicut, & Christus dilexit ecclesiam. in Prole, secundũ

Quid in prole. 2 fratrem Henricum Theutonicum, ne conceptus impediatur, ut gratanter suscipiatur idest siue sit filius, siue filia, agat inde gratias creatori, ne murmuret etiam prę nimia paupertate ait enim Apost. c. 2. & is. ad Tim. saluabitur mulier per filiorũ generationem, ut statim baptizetur diligenter, & amanter, caute fideliter, & religiose nutriatur in prima tenera ætate, & cum proprijs mãmis exemplo Mariæ Virginis, infantiam corrigendo, & symbolum edocendo, si malum fecerit, dolendo, & castigando, si religionem intrauerit, uel aliud bonum fecerit, congaudendo iuxta illud, scripturæ Prou. c. 13. & 24. filij tibi sunt? erudi illos, & cura

Quid in Sacramẽto. 4 illos à pueritia illorum. in sacramento; ut coniugium non separetur, ca. ex parte, de sponſ. item legitur apud Apost. quod Dominus præcepit, uxorem à uiro non discedere: quod si discesserit manere innuptam, aut uiro suo reconciliari. unde matrimoniũ post carnalem copulam nunquam dissoluitur quò ad uinculum, nisi morte unius, uel amborum, & sic matrimonium coniunctionem, & unitatem Christi cum ecclesia denotat: sicut enim Christus ecclesiam nunquam deseruit; ita uir uxorẽ deserere nequaquam debet, & è contra, c. quæsiuit, de diuort. unde sciendum est, quod illa dico prima bona .s. fides, & proles aliquando committantur matrimonium, aliquando non: nam multi fragunt fidem, c. ex litteris, de diuor. & multi sine prole sunt relicẽt non uoto. l. liberorum. ff. de uerb. signif. sed matrimonij uinculum nequaquam dissoluitur, nisi post mortem alterius, uel ambrum ca. cum Apostolus, de secund. nup. licet causa fornicationis separatio quò ad thorum tantum fiat, c. dixit Dominus 32. q. 1. hoc .n.

Tria remedia cõtra cõcupiscentiã. 5 tertium bonum .s. sacramentum tribuit tria remedia contra cõcupiscentiam, primo, reprimit eam per gratiam, quę gratis datur, Conc. Trid. sess. 24. c. 1. secundo, honestat eam per bona sua, c. inter opera, de sponſ. Tertio, non ita inuitat ad alias corruptelas: dum per illud satisfit mulieri, & è contra in actu coniugali cap.

Dominus,

Dominus, de secun. nup. quamobrem hic quæri solet, si cõiuges tempore contracti matrimonij conditione, uel pacto expresse intenderunt hæc tria bona non seruare, putà in fide habuerunt propositum adulterandi, prolem euitandi, & ad tempus contrahendi, an matrimonium consistat Inno. Abb. & omnes Doct. in cap. fin. de cond. appos. dicunt; quod aut habuerunt propositum hæc faciendi post contractum, uel ante, si post tenet matrimonium. nam impedimentum superueniens sicut non impedit, ita non dirimit matrimonium, ca. tuæ fraternitatis, de consang. & aff. si vero ante, non tenet, ut in. d. c. fin. si autem mentem tantũ habuerint, & expresse nõ declarauerint, erit matrimonium præsumptum quò ad ecclesiam glo. in c. fin. de cond. appos. nam ecclesia de occultis non iudicat, c. erubescant dist. 32. & eo magis si descenderunt postea ad actum, qui perficitur mutuo consensu, ut ad copulam, c. si inter, de spons. sed iudicio animæ, & in ueritate non uidetur matrimonium contrahi, quia ibi deficit consensus, quo matrimoniũ fit, c. sufficiat 27. q. 5. Abb. in ca. tua, nu. 6. de spons. tamen mortaliter peccat hac intentione contrahens, teneturque parti lesæ Armila nu. 65. Nau. de mat. nu. 76. nisi saltem de tertio bono .s. sacramento iudicet: quia si non iudicat, ergo non consentit in uitam indiuiduam inducẽdam, ut ait Host. in sum. est enim matrimonium ipsa inseparabilis cõiunctio., sed nec intentio non exigendi debitum, uitiat matrimonium etiamsi deducatur in pactum: nam non exactio debiti non est contra bonum matrimonij, sicut fuit inter Mariam, & Ioseph.

Qui Matrimonium contrahere potest.

SVMMARIVM.

1 *Edictum de motrimonio contrahendo prohibitorium.*
2 *Aetas dispar inter marem, & fœminam, & cur.*
3 *Malitia supplet ætatem.*
4 *Carens virilibus prohibitus.*
5 *Continuus furiosus prohibetur.*
6 *Aebrius an possit.*
7 *Muti, & surdi admittantur.*
8 *Meretrices sub conditione admittuntur.*
9 *Filius fam. incestis parentibus potest contrahere.*

10 *Vis, seu metus impedit matrimonium contrahendum.*
11 *Inter absentes matrimonium contrahitur.*



Nter marem, & fęminam matrimonium tantum con sistere in eius dęfinitione dictum fuit, & quia multoties matrimonium redditur nullum causa maris, uel fœminæ: ideo sequitur, qui matrimonium contrahere potest: vnde quælibet persona legitima quò ad ætatem, quæ requiritur in masculo 14. ann. & in fœmina 12. cap. impuberes, & ca. continebatur, de despons. impub. & quò ad intellectum ut sit sanæ mentis c. dilectus, de spons. & lege expresse non prohibita, admittitur, cap. cum apud, de spons. Hoc

Quilibet admittitur, qui expresse non prohibetur.

1 enim edictum prohibitorium est, l. oratio. ff. de spons. & d. c. cum apud. quocirca euenit, quod quò ad matrimnium contrahen-
2 dum fit differentia inter marem, & fœminam propter ætatem, quæ requiritur ad potentiam coeundi: nam mulier citius pubescit, quàm masculus. quare autem fœminæ citius pubescant, dicit glo. in. l. 2. C. de his, qui ven. æta. impe. quod mala herba cito crescit; sed alias rationes reddunt Doct. in ca. litteras, de despon. impub. vid. quod mulier est ingeniosior, & callidior: item sexus muliebris est debilior; vnde citius defuit fęmina, quàm masculus, & naturaliter videmus, quod id, quod citius deficit, citius perficitur, secus autem in sponsalibus, nam ibi ætas est communis maris, & fœminæ .s. septem ann. sufficit enim sponsos intelligere, quod agunt cap. litteras, de despons. impub. puer impubes pubertati proximus matrimonium cōtrahere potest, c. de illis, de despons. impub. mas, qui semen fundere potest, pubertati proximus est: sicut mulier, quę menstrua sentire incipit, pubertati proxima dicitur c. puberes, de despons. impub. quapropter tunc præ
3 sumitur, quod malitia suppleat ætatem, vt in d. c. de illis: cauendum tamem est, quod malitia in his duobus consisit in discretione .s. ad consensum coniugale intelligendum, & in potentia s. ad carnalem copulam, atque hæc malitia ob id appellatur prudentia, c. fi. de spons. Couarr. de mat. c. de ætate, nu. 3. Abb. in d. ca. de illis, nu. 4. hoc tamen debet relinqui arbitrio iudicis, Couar. de mat. c. de ętate, nu. 5. nam quandoque repertum est, puerum nouem annorum reddisse nutricem pregnātem, & Pan. dicit, se vidisse puellam in anno nono concepisse, & peperisse in
4 decimo. Qui virilia non habet, non potest contrahere c. illi, qui sani 32. q. 7. nam talis persona inhabilis est ad consentiendum & exa-

Qui dicatur pubertati proxim⁹.

Malitia in quib. consistat.

Carens virilibus p̄hibetur.

& exactum debitum persoluendum in eo enim non reperiun-
tur tria bona matrimonij, quæ sunt fides, Proles, & Sacramen-
tum ca. omne itaque 27. q. 2. iste non est talis, qui possit habere
5 prolem, quod satis est, ut in c. quod sedem, de frig. & malef. item *Furiosus*
furiosus non potest contrahere, quia non potest consentire, c. di- *prohibe-*
lectus, de spons. dummodo continuo furore laboret, quia loco *tur.*
absentis, & dormientis vbique habetur l. 2. §. furiosus. ff. de ac-
qui. poss. & l. diem proferre. §. coram. ff. de arbitris; si uerò habet
dilucida interualla, ipsis durantibus potest contrahere, arg. cap.
quamuis 7. q. 1. & cap. indicias 3. q. 9. l. Diuus. ff. de off. præs & l.
pen. C. de cur. furio: caueant tamen volentes matrimonium cō-
trahere cum furioso dilucida interualla aliquando habente, ac-
curata diligentia qualitatem furoris; quia non omnes, qui sanæ
mentis apparent philosophi sunt, vt ait Host. in sum. plerique
sub umbrata quiete morantur. l. quod meo nomine. §. si furioso.
ff. de acqui. poss. & plerique in sermonibus discreti apparent,
qui quò ad bona furiosum exitium patiuntur. l. datis ab his. ff. de
tut. & curat. si tamen post contractum in furorem incidat, non
dissoluitur matrimonium, ca. neque furiosos 32. q. 7. immo vxo-
rem, filiosve in potestate detinet, l. qui furore. ff. de statu homin. *Ebrius*
6 hinc patet matrimonium minimè contrahi ab ebrio ob consen *an probi*
sus defectum, si ebrietas illum consensum impediat Decius con *beatur.*
7 sil. 112. Couarr. de mat. c. 2. nu. 9. Muti, & surdi contrahere pos *Muti nō*
sunt, si consensum per signa tantum declarauerint, c. cum apud, *prohibea*
8 de sponf. Meretrices si intendunt se corrigere, cap. inter opera, *tur.*
9 de sponf. filius fam. in potestate constitutus contrahere potest, *Meretri-*
ac ad ecclesiam conuolare, nec pater potest ipsum cogere, ca. 1. *ces quan-*
10 de desponf. impub. ui, vel metu qui potest cadere in constan- *do.*
tem virum, nam tunc matrimonium nullum esset, c. veniens, & *Metus*
c. cū locum, de spō. Abb in c. 1. nu. 4. de desponf. impub. secus de *tollitur.*
coactiuoe reuerentiali paterna, vt cum liber consensus omnino
requiratur, quia coactæ nuptiæ difficiles exitus consueuerunt
habere, c. requisiuit, de sponf. potest tamen ei indicere causam
rationabilem, ad quam sub pœna peccati mortalis obligatur, si-
cut ac præceptum Sylu. in uerbo matrimonio primo nu. 1. unde *Absentes*
fit, quod ex debito honestatis, & non necessitatis filius in matri- *matrimo-*
11 monio contrahendo patri obedire tenetur. Matrimonium in- *nium con*
ter absentes per nuncium, & literas potest contrahi, sicut Isac *trahere*
cum Rebecca, ca. cum dicitur 32. q. 2. qui tamen per alium con- *poßunt.*
trahere debet, necesse est, vt speciale mandatum habeat, in quo

exprimatur persona, cum qua debeat matrimonium contrahi, vt textus est in l. generali, ff. de ritu nupt. si vero ante alterius consensum pœniteat, dummodo ecclesiæ constet, non est matrimonium, quia ibi non fuit consensus, c. procurator, de procu. lib. 6. nec obstat caput in præsentia, de procu. nam creditur hoc speciale in causa matrimoniali, etiamsi reuocatio ad procuratorem non peruenerit. sed si ille, uel illa, cui mittitur nulli exprimat cõsensum suum non est matrimonium, licet tacitè consentiat, sed tunc erit, quando notificauerit illi, cui misit literas, vel etiam alij, quia ad matrimonium consensus non sufficit, nisi fuerit expressus, cap. cum apud, de spons. existens in peccato mortali, excommunicatus contrahere matrimonium potest, Host. in sum. nu. 2. Nau. nu. 81. Arm. nu. 67. eod. tit.

Qualiter matrimonia contrahatur.

SVMMARIVM.

1 *Consensus de præsenti sufficit.*
2 *Consensus liber, & spontaneus esse debet.*
3 *Materia, & forma huius sacramenti.*
4 *Præsentia parochi est de necessitate.*
5 *An ficte contrahens contrahat.*



MAximum discrimen est inter ius antiquum, & nouum quò ad qualitatem matrimonij contrahendi, ut inferius videbitur, non tamen quò ad substantiam; unde solus consensus de præsenti sufficit ad matrimonium contrahendum quò ad Deum, & ueritatem. l.

Differentia inter iuruetus & nouũ. 1 nuptias; de reg. iuris, & cap. sufficiat 27. q. 2. & probatur quia quatenus matrimonium contractus, & consensum exigit, l.

2 1. ff. de pactis, & l. consensu. ff. de act. & oblig. qui liber, & sponta neus esse debet, c. cum locum, de spons. ideo quęcunque impediunt liberam præstationem huius consensus, impediunt quoq; matrimonium, c. ueniens, de spons. quapropter notandum est, quod quamuis diuersi diuersa sentiant de materia huius Sacramenti Ad. in 4. de mat. quæst. 1. Albertus Brunus in tract. de for

Quę sit materia, & forma 3 ma quęst. 3. col. 4. securius tamen est dicere, materiam huius Sacramenti esse consensum, forma vero verba, qualia sunt ego te in meam vxorem accepto, & similia, vel alia signa æquipolentia

Taciturnitas qd operetur. consensum declarantia, d. cap. cum apud, & cap. tuæ, & interdum taciturnitas sine contraditione, vt quando pater contrahit pro filia præsente, audiente, tacente, & non contradicente iuxta

gio.

glo. in ca. honorantur, 31. q. 2. cap. 1. §. porrò, de desponſ. impub. Sylu. in verbo matrimonio, cap. 1. nu. 1. Nau. de mat. nu. 21. vt materia in ſtipulatione, quæ interrogatione, & reſponſione fit, eſt conſenſus, uerba ſunt forma. l. 1. in princ. &. §. 1. ff. de uerb. oblig. licet ad ſtipulationem non ſufficiant ſigna, uel alia, ad matrimonium tamen ſic. d. c. cum apud, & c. tuæ, unde fit, quod eccleſia requirit duo ſubſtantialia. ſ. conſenſum, & uerba, qui conſenſus declarandus eſt ſimul, & eodem tempore: nam in contractibus, qui iure gentium perficiuntur, contrahentes debent conſenſum ſimul præſtare. l. continuus actus & l. 1. de verb oblig. glo. in l. conſenſu. ff. de act. & oblig. Abb in c. dilectus, de ſponſ. Spec. in tit. de ſponſ. in 1. col. licet Hoſt. & Io. And. in c. Ex litteris, de ſponſ. contrarium teneant. ſ. quod ſufficiat, vnum conſentire per prius, & duret in ſuo propoſito, donec alterius conſenſus accedat poſt plures etiam dies: nam interuallum medij temporis non vitiat ſtipulationem. l. 1. §. ſi uero præſens interrogaue rit. ff. de uerb. oblig. ſed uerum eſt, inter abſentes, uel inter præſẽtes hoc dicere, æquius eſt, licet primum dictum uideatur tutius, & uerius de ſubtilitate iuris, ut ibidem inquit Abb. ſed quæri ſolet, an conſenſus cohabitationis, an conſenſus tantum carnalis copulæ requiratur, & ſufficiat ad matrimonium contrahendũ; ſi conſenſus cohabitationis, ſic poteſt eſſe matrimonium inter fratrem, & ſororem; ſic conſenſus carnalis copulæ, ſic inter virginem Mariam, & Ioſeph nullum fuit matrimonium. Hoſt. in ſum. eod. tit. nu. 16. ait, quod de neutro hoc ſimpliciter intelligẽdum eſt. ſ. de conſenſu matrimoniali, ſeu coniugalis ſocietatis, & propoſiti reddendi debitum; nec refert, an inter perſonas cõ-

Quid eccleſię requirat.

Qualis conſenſus requiratur.

4 trahentes mutua fiat repromiſſio, vel alio intermedio, vt Parocho ipſis præſentibus, cap. cum inhibito, de cland. deſponſ. & duobus, vel tribus teſtibus, qui poſt Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. mat. mat. ca. 1. ver. qui aliter, adeò neceſſarius eſt, vel ut eius auctoritate alius ſacerdos interſit, quod ſine eo matrimonio ipſo iure nullum eſt, vt in d. ver. Qui aliter. Notandum tamen eſt, quod verba ſacerdotis tantummodo ſunt de ſolennitate ſacramenti, & de præcepto eccleſiæ, quæ ſolemnitates, & aliæ, quæ ab ipſo concilio præcipiuntur, vt publicationes, Benedictio ſacerdotis annuli immiſſio in digito manus ſiniſtræ, qui minimo eſt proximus, cum in eo quædam vena ſanguinis eſt, quæ ad cor vſque peruenit, ut mulier perpetuo recordetur fidei ſuo uiro pręſtitę, cap. fœminæ 30. q. 5. debent ſeruari, ſi tamen non ſeruentur,

Parochi præſentia neceſſaria.

tur, nihilhominus matrimonium tenet contra textum in ver. Qui aliter arbitrio vero superioris puniri debet nō seruans, quæ ab ipsomet conc. ordinantur. d. cap. 1. ver. insuper ecclesia enim pręsentiam tantum ipsius parochi, & testium requirit ne defraudetur, cum non iudicet de occultis, cap. erubescant dist. 32. nam per eius præsentiam, vult tantum consensum, qui matrimoniū facit, cap. sufficiat 27. q. 2. vnde hodie cessant matrimonia clandestina, quæ perniciem animarum sæpe sæpius erant: ecclesia enim aliquando iudicabat illud matrimonium esse, quod quò
3 ad Deum nullum erat, cap. tua nos, de spons. contrahens animo ficto matrimonium. s. consensu tantum exteriori in facie ecclesiæ, vt valeat decipere ipsum, vel ipsam, cum quò, vel qua contrahit, mortale peccatum incurrit, cum irreuerentiam tanto sacramento facere videatur, cap. tua nos, de spons. sub peccato verò mortali tenetur, matrimonium illud ratum habere, & sic consensum interiorem præstare; quia obligatur verificare verba, quibus eum, vel eam decepit Maior in 4. dist. 27. q. 1. Abb. in d. cap. tua nos, nu. 6. de spons. Nau. de mat. nu. 76. & quò ad ecclesiam matrimonium est præsumptum, compelletque eos affectione coniugali se tractare, vt in d. cap. tua nos, nisi appareat de simulatione, quia tunc non iudicabit pro matrimonio, cap. tuæ fraternitati, de spons. vtrum uerba requirantur, vel non, vel vtrum sufficienter probatum sit, vel non, arbitrabitur iudex, qui inspecta qualitate personarum, diuturnitate temporis, carnis copula, uel alijs circumstantijs hoc determinabit Sylu. in uerb. matrimonio 4. nu. 1.

Ad quid teneatur ficte contrahens.

Effectus Matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Effectus matrimonij.*
2 *Mors omnia tollit.*
3 *An in sacris locis reddere debitum liceat.*



1 SAcramentum hoc magnum est cap. debitum, de Bigamis: ideo quos effectus pariat noscere perutile est. Primus effectus, quod matrimonium semel contra-
2 ctum nullatenus dissoluitur cap. cum secundum, de secun. nup. nisi post mortem, quæ omnia soluit, ut in d. cap. & §. deinceps, Instit. de nup. ampliatur etiamsi alter con-

Primus effectus.

iugum

iugum in hæresim, uel in aliquod horrendum labatur cap. Horrendus, 32. q. 5. & in Conc. Trid. de reformat. mat. sess. 24. cap. 3. vbi leguntur hæc verba (si quis dixerit propter hæresim, vel molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolui posse matrimonij vinculum anathema sit) licet aliquando ratione fornicationis dissolutio quò ad thorum tantum fiat; nam illam causam etiam Dominus excepit, cap. Dixit Dominus 32. q. 1. secus verò si matrimonium copula non fuisset consumatum; quia tunc per ingressum religionis etiam quò ad vinculum dirimitur, cap. ex publico, de cõsang. & aff. non enim soluitur sacramentum vnionis, vel fidei, sed potius augumentatur. Secundus effectus, quod vxor tenetur sequi virum quocunq; ierit, nisi post matrimonium effectus sit vagabundus, cap. si quis 34. q. 1. cum mulier sit subdita, & vir eius caput, cap. hæc imago, & cap. mulierem 33. q. 1. Tertius effectus, quod vir reddere debitum vxori tenetur, & vxor viro similiter, cap. 1. 33. q. 5. & cap. tua nos el 2. de iur. iur. hoc vero in sacris locis locum non habet: nam ibi non licet, immò peccatum est mortale cap. vnico, & ibi glo. de consec. altaris, nisi tibi perpetuo obsiderentur, Couarr. de mat. cap. de coniugali effectu §. 2. nu. 3. Quartus effectus; quod mulier non potest dotem exigere, vbi contractus celebratus fuit, sed vbi maritus domicilium habet. l. exigere. ff. de iudicis. Quintus effectus, quod maritus non potest compelli ad dotis restitutionẽ vltra id, quod facere potest. l. si maritus, ff. soluto mat. Sextus effectus: quod vir nobilis mulierem ignobilem per matrimonium reddit nobilem, cum dicatur de eius familia, & è contra mulier nobilis virum ignobilem per matrimonium nobilem facit, licet nõ ex propria significatione Bar. in l. fin. nu. 2. de uerb. signif. Septimus effectus, quod mulier adultera amittit dotem, donationemque propter nuptias, cap. plerumque, de donat. inter vir. & vxor. ac in monasterio detruditur secundum legesciuiles, ut Authen. in nullii n. §. si quãdo adulter pœna capitis plectitur. l. Quãuis adulterij. C. Ad legem iul. de Adult. sed si uir adulterium committat, mulier contra eum agere non potest secundum leges ciuiles. l. prima. C. eod. tit. . l. crimine. Qui accusare non possunt, sed secundum ca nones ad imparia non iudicantur, cap. ex litteris, de diuortijs: unde uir propter adulterium dotem restituere tenetnr, ca. 1. & 2. de donat. inter vir. & vxor. Octauus effectus; quod proles illegitima per subsequens matrimonium redditur legitima, si ex soluto, & soluta genita fuit, cap. 1. & cap. tanta est uis.

Propter fornicatione dissoluitur matrimoniũ quò ad thorũ.

Secũdus.

3

Quartus effectus.

Quintus effectus.

Sextus effectus.

Septimus effectus.

Octauus effectus.

Qui

Qui filij sint legitima; secus autē si ex adulterio ab utraq; parte, uel ab vna tātū fuit cōcepta, quia tunc nō efficitur legitima. d. c. tanta est vis, & c. causam, quæ: Qui filij sint legitimi. Nonus effectus; quod filij sunt legitimi, & dos est aliqua, quando matrimonium tenet, & legitimum est, cap. gaudemus, qui filij sint legitimi vincta. l. 2. ff. soluto mat. secus si illegitimum esset. l. 3. ff. de iure dotium. Decimus effectus, quod filius potest vxorem a patre detentum vendicare, cap. Non est nobis, de sponf. unde hic cessat regula illa, quod nulla his possit esse inter patrem, & filium. l. his nulla. ff. de iudicijs.

Nonus effectus.

Decimus effectus.

Qualiter matrimonium impediatur.



VONIAM multa sunt impedimenta matrimonij, & alia sunt impedimenta impedientia matrimonium contrahi, & contractum dirimentia, quæ partim sūt de iure diuino, ut consanguinitas in primo gradu, c. litteras, de rest. spoliat. partim de iure positiuo constituta, ut impedimentum publicæ honestatis, & cet. c. sponsam de sponf. unde asserentes ecclesiam non potuisse constituere impedimenta impedientia, & dirimentia, & in his constituendis errasse anathematis uinculo, nodātur, ut in Conc. Trid. de sacram. mat. sess. 24. c. 3. hocq; intelligendum est, si præcedant matrimonium, secus autem si sequantur: quia matrimonium ante consumatum per nullum impedimentum subsequens dirimi potest, c. de infidelibus, de consang. & aff. v. g. qui omnino sectus est, contrahere non potest, sed si post matrimonium cessetur, non dissoluitur, c. illi, qui sani 32. q. 7. item furiosus ante matrimonium nō potest contrahere, ca. dilectus, de sponf. si tamen tempore sanæ mentis contrahit, durat, c. neque furiosus 32. q. 7. & similiter de alijs est intelligendum. Hæc sunt igitur impedimenta, quæ impediunt cōnubia fieri indistincte, facta uero retractant. Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas, Affinitas, & impotentia coeundi: Post Conc. Trid. additum est crimen raptus donec simul manserint, ut inferius patebit.

De

De erroris personæ impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Error personæ impedit matrimonium.*
2 *Errans non consentit.*
3 *Error qualitatis non impedit matrimonium*



Atis liquet ex iam dictis in §. qualiter contrahatur, consensum in hac materia necessarium esse: vnde ad perfectiorem cognitionem hic subinfertur, an error matrimonium impediat, & dirimat, ad cuius rei notitiam sciendum est, quod duplex est error. s. circa substantiam personæ, vt si credam contrahere cum Gemma, & contraho cum Berta, vel Gemma putat contrahere cum Iacobo, & est Paulus 2. q. 1. ibi quod autem, sicut Iacob putabat esse Rachel, & erat Lia Gen. cap. 29. hic nullum est matrimonium, nam errantis consensus est nullus, Gof. in sum. de coniug. ser. nu. 5. D. Tho. de dolo. 2. 2. q. 55. art. 4. cum in matrimonio consensus requiratur, cap. sufficiat 27. q. 2. cap. cum locum, de spons. sine ipso igitur cetera corruunt. errans enim non consentit. l. si per errorem. ff. de iurisd. omnium iudicium, & August. de trinit. inquit, inuita diligere possumus, incognita nequaquã. nam error est aliud pro alio accipere, cap. in quibus 22. q. 2. ca. quamuis dist. 38. & Abb. in cap. Apostolicæ, de cle. excom. & propterea error cognitionem remouet, quæ est causa consensus, & omnium actuum voluntatis. Alius est error, qui est circa qualitatem, vel fortunam, ca. 1. 2. q. 1. puta, qui dicit se diuitem, cum sit pauper, Nobilem cum sit ignobilis: Virginem cum sit corrupta; talis error non tollit, quia consentit in personam, & non in qualitatem, cap. 1. §. error. ead. q. 1. immo matrimonium tenet, cap. error, & cap. his ita 29. q. 1. nisi iste error qualitatis redundaret in personam, putà si aliqua nobilis Veneta matrimonium contrahat cum aliquo rustico Mantuano affirmante se filium Ducis Mantuæ, cum non sit, matrimonium non tenet Host. in sum. Card. in cap. 2. de coniug. ser. quia est error personæ, nam vbique habetur notitia Ducis Mantuæ, ut per visum, auditum, vel denique famam. l. in lege, de contrah. emp. & ideo constat quod directe consenserit in personam filij Ducis Mantuæ, & non in personam præsentem. S. Tho. & communis

Error circa substãtiam personæ impedit, & dirimit. (1)

Errãs nõ sentit. (2)

Error qualitatis non dirimit contrarium. (3)

Quando error qualitatis dirimat.

in 4.lib.sent.dist.30. secus si consensus in personam præsentem directe præstaret, error enim de nobilitate ipsius tunc non impedit matrimonium, ut in d.cap.§.error, ead.q.1.

De conditionis impedimento.

SVMMARIVM.

1 Error conditionis triplex est.
2 Matrimonium contractum affectu fornicandi quò ad ecclesiam tenet.



NOtum est, quemlibet præsumi conditionem suam meliorem, & non deteriorem facere, & ideo de errore conditionis agendum est, qui triplex est: Primus circa meliorem, quàm sit sua, vel quàm credit, ut quando liber contrahit cum libera, credens
1 contrahere cum ancilla, vel è contra. Secundus, circa parem: quando seruus contrahit cum ancilla, credens illam liberam, vel è contra. Tertius, circa deteriorem; quando liber contrahit cum ancilla, quam credit liberam, vel è contrario, ca. proposuit, de coniug.ser. Primus, & secundus error matrimonium non dirimit; quia errans se deceptum non inuenit, nec habet, quod obuiat alteri; immo a fortiori tenet, quando melioratur eius conditio, & ecclesia sic statuit.d.cap. proposuit, & cap. Ad nostram 29.q.2. Tertius verò sic; nam error circa conditionem seruilem aliquando ex sua natura impedit, & dirimit matrimonium, quia repugnat potestati, quæ traditur in matrimonio, cum libere non possit uti ancilla, cap. si quis ingenuus, & cap. si fœmina 29.q.2. secus, si post scientiam huiusmodi erroris consentiat in eadem, uel ipsam cognoscat, & hoc intellige si pro certo sciuit seruitutem; tunc est matrimonium.d.cap. proposuit, nisi eam
2 cognouerit non tamquam vxorem, sed vt meretricem; nam quò ad ecclesiam est matrimonium præsumptum, quia non iudicat de occultis, cap. erubescat dist.32.& nescit quo affectu talis accesserit ad eam, vt in d.cap. proposuit, in foro vero interiori non est eius vxor, nisi de nouo simul consentiant, ca. Ad nostram, de coniug.ser.& sub peccato mortali consensum interiorem præstare tenetur illi, quam decepit, Abb. in cap. tua nos, nu.6.de spons.

Primus. *Secũdus.* *Tertius.*

De

De uoti impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Votum duplex est.*
2 *Votum solemne impedit, & dirimit.*
3 *Votum simplex impedit, sed non dirimit.*
4 *Quilibet vouere potest, qui expresse non prohibetur.*

SI fidem homini fallere turpe dictu, audituque est, quanto magis Deo? de voto igitur quo creatura suo
1 creatori se tradit agendum censeo, quod duplex *Votũ duplex est.*
2 est, solemne, quod impedit contrahendum, & contractum dirimit, cap. meminimus, & cap. rursus, qui cle. vel voscen. & dicitur solemne secundum glo. in d. cap. rursus post professionem, vel susceptionem vestis, quæ tantum profitentibus dari consueuit. item post introitum religionis, & anni lapsum vel post sacri ordinis susceptionem, cap. 1. de voto in 6. immò contrahens incurrit excommunicationem, vt in cle. *Aliud solemne.*
3 eos, de consang. & aff. & votum simplex, quod impedit contrahendum, sed non dirimit contractum. d. cap. 1. & per tot. 27. q. 1. *Votum simplex.*
4 potest autem vouere quisque sanæ mentis votum continentiæ, nisi expresse prohibeatur, ca. 1. qui cle. vel vouen. quia vouens spiritu ducitur. prohibetur vouere coniunx nisi per alterius consensum, cap. placet, de conuers. coniug. item furiosus arg. in ca. dilectus, de spons. item seruus arg. in cap. 1. de coniug. ser. item nec impubes. s. puella minor 12. annis, & puer minor 14. annis, cap. puberes, & cap. continebatur, de despons. impub. immo votum non tenet, nisi sit potens coire, quia nondum est experta aculeos carnis, nec potest vouere continentiam quod tamen non placet, vt tenet Inn. in Rub. qui cle. vel vouen. sicut enim alia uota minor 14. annis, & mulier minor 12. annis potest facere, & tenent, quia sicut per peccatum potest se obligare Diabolo, sic per uotum Deo ita, & istud.

De cognationis spiritualis impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Cognatio spiritualis contrahitur ex sacramenti datione.*
2 *Cognatio spirituali triplex est.*


Vm triplex sit consanguinitas.s.spiritualis, legalis, & carnalis, ideo de spirituali, tanquam digniori videndum arbitror.
1 cognatio igitur spiritualis est propinquitas, seu attinentia proueniens ex sacramenti baptismi, & confirmationis datione: unde quod dicitur de baptismo, intelligitur quoque dictum de confirmatione,

Definitio cognationis spiritualis.

2 cap. 1. §. ex confirmatione eod. tit. in 6. hæc cognatio spiritualis triplex est.s.compaternitas, paternitas, & confraternitas, compaternitas est, quæ contrahitur inter Patrem, & matrem baptizati ex una parte, & inter baptizantem, & leuantem siue sit vnus, siue plures ex altera, cap. quamuis, eod. tit. in 6. quocirca vnus compatrum semper est pater spiritualis, & alter carnalis, cap. veniens eod. tit. & sic singuli filij singulos patres habere debent, & non plures, cap. quod autem, 30. q. 4. cap. in catechismo, de consec. dist. 4. nam quot patres habet, tot maritos amittit. d. cap. quamuis, licet non sint scismatici, vel hæretici, aliàs non quia non sunt eius capaces, c. in Baptismate, ead. dist. 4. de his enim, qui foris sunt, nihil ad nos, cap. multi 2. q. 1. & nihil refert, an sit mas, vel fęmina, cap non plures eod. dist. 4. quamobrem compaternitas impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit. d. cap. veniens, & cap. 1. 30. q. 1. ampliatur hoc quoque, vt contrahatur eadem compaternitas per obliquum, vel indirecte cum vxore susceptoris, siue baptizantis, licet non suscipiat, vel non baptizet, & è contra, cap. 1. eod. tit. in 6. cum sint una caro, & communicent sibi actiones, & passiones, cap. 1. & cap. si quis vnus 30. q. 4. intellige, si eo tempore erant coniuges, secus si postea, quia tunc nulla compaternitas contrahitur, nam cognatio carnis ad cognationem spiritus non transit, c. post vxoris 30. q. 4. cap. 1. eod. tit. in 6. Gof. in sum. nu. 3. vnde sciendum est, quod si pater in casu necessitatis baptizet filium proprium, vel ex ignorantia adhibita debita diligentia, licet contrahat cognationem spiritualem, non impeditur tamen, quin reddere debitum, & petere possit, cap. ad limina 32. q. 1. cap. si vir, eod. tit. quemadmodum impeditur inter solutos; secus autem si scienter baptizet, quia tunc non potest exigere debitum, sed reddere petenti, qui non fuit in culpa. si tamen vterque leuauit de sacro fonte, vterque caret spe exigendi, cap. peruenit 30. q. 1. & ad petitionem alterius, alter non tenetur reddere, nec potest, quia reddit id, ad quod obligatus non est, cum alter ius petendi non habeat, episcopus tamen poterit eos absoluere pro-

pter

pter periculum incontinentiæ peracta pęnitentia,& hęc secundum canones antiquos, quæ limitata fuerunt per Conc. Trid. sess. 24. ca. 2. de reformat. mat. quò ad susceptores scilicet, quod vnus, vel duo tantum sint, quod si plures erunt, quàm duo, quos elegerint parentes baptizati, qui in libro describi debent, cum illis nulla compaternitas contrahatur, sed tantum cum illis duobus, & ipso baptizato, patre, & matre baptizati monstruosum enim, & impossibile est, siquis diceretur habere plures patres, & matres carnales, quod idem de spiritualibus dicendum videtur. Secunda est Paternitas, & hæc contrahitur inter baptizantem (qui locum patris tenet, siue sit clericus, siue laicus, cur, aut fœmina) & baptizatum, & inter baptizatum, & susceptorem, qui locum matris tenet, siue sit vnus, siue plures, siue vir, siue fœmina, cap. quamuis, eod. tit. in 6. quod idem iudicium de confirmatione habendum est, vt in d. cap. quamuis vnde dirimit contractum cum illa persona, qua mediante ventum est ad paternitatem, & sic pater spiritualis filiam spiritualem nunquam ducere potest, nec filia patrem, c. 1. eod. tit. in 6. c. de eo, quod interrogasti, 30. q. 1. c. ita diligere, 30. q. 3. secus si cum filia compatris, siue commatris: licet honestum sit, quod a tali coniugio se abstineat, c. illud 30. q. 3. & Host. in sum. §. Quis sit effectus num. 4. hæc enim cognatio spiritualis tantum extenditur ad illam personam, qua mediante contracta fuit. d. cap. quamuis. Tertia est confraternitas, quæ attenditur inter filios legitimos, ac etiam naturales tantum baptizantis siue sint nati ante, siue post compaternitatem, & baptizatum, & inter filios legitimos, ac etiam naturales tantum susceptoris, & baptizatum, cap. 1. & cap. super eo, eod. tit. cap. ita diligere, 30. q. 3. quæ confraternitas, siue proximitas spiritualis impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, & hoc intelligitur cum illa persona, qua mediante ventum est, ad confraternitatem; inter alios vero nullum subest impedimentum, vt in d. cap. 1. & cap. super eo, sed hoc impedimectum habet secundum ius antiquum, cui abrogatum est, per Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de refor. mat. vbi statuit, quod nulla confraternitas amplius sit inter filios susceptoris, & baptizantis cum baptizato.

Paternitas.

De cognationis legalis impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Definitio cognationis legalis.*

Cognatio

2 *Cognatio legalis triplex est.*

PEr cohabitationem carnis copula facillime cõtingit: quamobrem hoc impedimentum impediens,& dirimens, quo compescitur carnis aculeus constitutũ
Definitio 1 fuit.cognatio enim legalis est propinquitas,quæ secũdũ leges humanas ex adoptione & arrogatione pendet, quia qui alienum filium recipit, habetur pro filio, uel nepote, uel ulteriore iuxta uoluntatem adoptantis, communis sententia post glo. in cap.1.de cognat.legali,& hæc triplex est
2 *Inter quas personas cõtrahatur & prima* prima contrahitur inter adoptantem, & adoptatum, qui sunt tanquam ascendẽtes,& descendentes, & propterea habet perpetuam prohibitionem .l. quin etiam .ff. de ritu nup. vnde fit, quod adoptans nunquam potest contrahere cum aliquo horũ, & si contrahit nullum est matrimonium.d.l.quin etiam,& cap. ita diligere 30.q.3.adoptans uero cum matre adoptati contrahere potest,ut habet Sylu.uerb. uerbo matrimonium.8.§.8. Nau. nu.8.eod.tit. secunda quasi transuersalis est inter adoptantis filios legitimos,ac etiam naturales tantum,& ipsum adoptatum,
Secunda. dummodo sint in potestate patris,& non aliàs,c.1.eod. tit.l.Per adoptionem.ff.de ritu nup.contra Inn.& Host.in d.c.1. quia licet adoptatus non transeat in potestate adoptantis, acquirit tamen quædam iura per adoptionem, nam habet ius succedendi abintestato, ut Instit. de adop.§.1.& alia, quæ dissoluuntur per emancipationẽ.l.penult.§.sin autem.C.de adop. hæc autem cognatio impedit, & dirimit, donec filij erunt in potestate patris adoptantis,quo mortuo,uel emancipatione facta,cessat hoc impedimentum.d.l. per adoptionem, &.l.in omni.ff.de adop.vnde contingit,quod hoc impedimentum est temporale.d.c.1. & l.per adoptionem.Tertia est quędam legalis affinitas inter uxo-
Tertia. rem adoptantis,& adoptatum,& inter adoptantem,& uxorem adoptati.l.adoptiuus.1.respons.ff.de ritu nup.& hoc impedimẽtum similiter est perpetuum.d.l.adoptiuus, & l. quin etiam §. item patris.ff. de ritu nup.

De cognationis naturalis impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Definitio consanguinitatis.*
2 *Quæ comprehendat consanguinitas.*
3 *Regulæ ad cognoscendum gradus in qualibet linea.*
4 *Diuersitas computationis inter canonicum, & ciuile ius.*

Vbi

Bi ineſt fortius vinculum, ibi accurata ſedulitas indaganda, eſt experientia dictat: quamobrem de ſpiritualis, & legalis cognationis impedimentis, quæ ramos non habent, & quæ perſonas, cum quibus contracta ſunt, non egrediuntur, copioſe differuimus, nunc de cognationis carnalis, ſeu conſanguinitatis impedimẽto, in quo comprehenduntur ſtipes, linea, & gradus non paruo ſtudio uacandum uidetur. quocirca conſanguinitas eſt uinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, uel aſcendẽtium carnali propagatione contractum, quæ à con, & ſanguine dicitur, quaſi communis ſanguinis unitas. l. non facile. ff. de gradibus. ſtipes eſt perſona, à qua aliæ omnes perſonæ de quarum coniunctione quæritur deſcendunt, & originem ducunt, ſicut Adam fuit ſtipes Cain, & Abel, & filiorum, qui ab eis proceſſerunt; linea eſt collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendẽtium diuerſos gradus continens, & numeros diſtinguens, quæ triplex eſt, Aſcendentium, Deſcendentium, & Collateralium; Aſcendentium reſpicit illas perſonas, à quibus nos originem duximus, ut Patrem, Matrem, Auum, Proauum, Abauum, Atauum, & ceteras perſonas aſcendentes in infinitum. Deſcendentium comprehendit illas perſonas, quæ à nobis originem duxerunt, ut filium, filiam, Nepotem, Neptem, Pronepotem, Proneptem, & ceteras alias deſcendentes in infinitum. linea collateralium, ſeu tranſuerſalium eſt, quæ continet illas perſonas, quæ nobis ex latere coniunctę ſunt, à quibus nos non originem duximus, nec ille à nobis, ab eodem tamen ſtipite, & ſanguine propagati ſumus, ut frater, ſoror, filij duorum fratrum, Patruus, Amita, ac Reliqui tranſuerſales. Hæc autem linea duplex eſt, Aequalis, & inæqualis. Aequalis linea eſt, quando gradus illorum, de quorum conſanguinitate quæritur, æqualiter, & pariter diſtant à communi ſtipite, putà duo fratres ſunt in linea æquali, & uterque diſtat à communi ſtipite. ſ. patre. uno gradu inæqualis linea dicitur, quando una perſona aliam in gradu præcedit, & perſonæ, de quarum coniunctione quęritur, non pariter diſtant à cõmuni ſtipite, ut eſt in fratre, & fratris filio, quia frater diſtat, à ſtipite. ſ. patre, uno gradu, ſed filius fratris diſtat, ſecundo gradu & ſic in æquali linea eſſe dicuntur, hæc omnia habentur in, c. 1. 35. q. 4. & toto tit. ff. de gradibus. Gradus ſecundum Io. And. in arbore conſanguinitatis eſt interuallum perſonarum quo cognoſcitur, quota generis diſtantia una perſona ab alia diſtat. Dicti

ſunt

Definitio cõſanguinitatis. 1

Quid ſti

Quid linea.

Quid ſit gradus.

ſunt gradus ad ſimilitudinem ſcalarum procliuium quæ ita gradiuntur, ut de proximo in proximum ideſt in eum qui quaſi ex eo naſcitur tranſeamus.l. iuriſconſultus .§. gradus .ff. de gradibus. Qualiter gradus computentur: Regulæ inferius poſitæ docebunt, quoto gradu ſunt Aſcendentes, Deſcendentes, & Tranſuerſales. Prima regula eſt linea recta, quæ duplex eſt, ut ſupra dictum eſt aſcendentium, & deſcendẽtium, ideſt, quatenus vna perſona per carnis propagationem diuerſimode deſcendit ab alia, quæ addit gradum, ſed non mutat genus, c. Ad ſedem 35.q. 5. vnde quot ſunt perſonæ, quæ inter perſonam propoſitam, & communem ſtipem, ipſis extremis computatis, & dempto ſtipite ſupererunt, tot erunt gradus: quapropter notandum eſt, qđ
3 ſemper demitur ſtipes in computatione perſonarum ad conſtituendum gradum Aequalis, vel inæqualis lineæ quia filius eſt ex ſanguine Patris, quamobrem non fit deſcenſus per duos gradus, ſed per unum tantum, Abb. in c. fin. eod. tit. v. g. volo ſcire, quoto gradu ſint pater, & filius, quia nulla eſt perſona intermedia, ſed duæ tantum ſunt extremæ Pater, & filius, dempta vna .ſ. Patre, qui eſt ſtipes reſtat vna, & ſic pater, & filius erunt in primo gradu; item uolo ſcire, quoto gradu ſint Auus, & Pronepos, computo extrema, quę duo ſunt, ſ. Auus, & Pronepos, duo ſunt intermedia. ſ. filius, & Nepos, quibus adheret ultimum extremũ ſ. Pronepos, dempto ſtipite, Pronepos cum Auo in tertio gradu erit. Tandem ſciendum eſt, quod in hac linea recta in ullo gradu nunquam licet contrahere nuptias, quia eſt perpetua .l. Nuptiæ.ff. de ritu nup. c. in copulatione, c. Progeniem, & ca. de conſanguinitate 35. q. 3. Io. And. in glo. ſua ſuper Arbore conſang. Hoſt. in ſum. eod. tit. §. qui conſueuerunt, ſub .§. qualiter arbor in uer. 9 quæritur, Abb. in cap. Non debet nu. 8. eod. tit. unde hoc impedimentum de iure diuino ſuper naturali fundato eſſe uidetur: adeò ut ſi Adam nũc uiueret, mortua Eua, aliàm uxorem non reperiret: nam quædam reuerentia, quę a filijs pręſtanda eſt parentibus, perpetuo remanet. ſecunda regula eſt in linea collaterali, ſeu tranſuerſali æquali; putà, quia perſonæ, de quibus quæritur, non deſcendunt una ab altera, ſed colloteraliter à communi ſtipite procedunt, ut ſupra dictum eſt. unde quoto gradu quælibet iſtarum diſtat à communi, ſtipitè toto gradu diſtant inter ſe, ca. quod dilectio, eod. tit. & ſic tot erunt gradus, quot erunt perſonæ, dempto ſtipite: ut ſi quis vult ſcire quoto gradu ſint duo fratres, debet duas proponere, perſonas à com-

Prima regula.

Secunda regula.

muni stipite tantum descendentes, sed non inuicem, & debet perspicere quoto gradu alter fratrum sit cum communi stipite s. patre, & tunc in eodem erit cum eius fratre: quocirca si pater, & frater, qui sunt duę personæ, quarum una dempta est per primam regulam, frater respectu patris erit in primo gradu, & sic cum alio erit in primo gradu; vel volo scire, quoto gradu sint duo filij duorum fratrum, considero, quoto gradu sint cum communi stipite s. Auo, & per primam regulam Auus, & Nepotes erunt in secundo gradu: unde inter se in eodem erunt. Notandũ denique est, quod personæ, quæ distant æqualiter a communi stipite, dicuntur esse in gradu, & facere gradum, c. porrò, & cap. parentele 35. q. 5. Tertia regula est pro linea collaterali, seu trãsuersali inæquali: proponendę sunt duæ personæ à communi stipite descendentes, sed non inuicem, quarum una est proximior communi stipiti altera, quæ remotior erit, tunc quoto gradu remotior distat à stipite, & à quolibet per aliam lineam descẽdentium ab eodem, ut in d. c. fin. v. g. uolo scire, quoto gradu distant filius unius fratris, & Nepos alterius fratris per primam regulã, filius vnius fratris cum Auo erunt in secundo, nam filius, & eius pater sunt duæ personæ, & sic constituunt secundum gradum dempto stipite; sed nepos alterius fratris cum Auo erit in tertio. unde sciendum est, quod personæ, quæ inæqualiter distant à cõmuni stipite dicuntur tantum distare gradu, ut in. d. c. porrò, & c. parentelę. nec obstat textus in c. quod dilectio, eod. tit. ubi cõmuni stipiti proximior ad se trahit remotiorem: quia ut ait Gof. ibi interpretatio circa dispensationem arctatur: uelibi Papa multitudini, & obseruatæ consuetudini illius prouinciæ consultius defert, quàm aliud in dissensionem, uel scandalum populi statuat, quadam adhibita nouitate. Tandem in hac linea tam ęquali, quàm inæquali usque ad quartum gradum inclusiue matrimonium contrahi prohibetur, & si contractum fuerit, dirimitur. d. c. nõ debet, pręsumitur enim quod affectio sanguinis ultra quartum gradum non procedat. vnde contrahentes ultra excomunicationem, quam ipso iure incurrunt scienter cõtrahendo, clem. prima, de consang. & aff. priuantur spe deinceps contrahendi, & dispensationis obtinendæ, ut in Cõc. Trid. sess. 24. de reform. mat. ca. 5. verum quia dixi in computatione graduum, remotiorem trahere ad se minus remotum. Notandum est, quod si aliqui sint in quarto ex vna parte, ex altera in secundo, & petitur dispensatio à summo Pontifice pro quarto, non narrato gradu

Tertia regula.

propinquiori, tenet dispensatio, nam illi vere sunt in quarto, ut in d. ca. fin. ampliatur hæc regula, ut habeat locum, quando alicui conceditur facultas dispensandi in quarto: nam illi tacite cõceditur facultas dispẽsandi in gradu propinquiori ex altera parte vt in. d. c. fin. Hæc dicta intelligantur secundum canones, vt consanguinitas non excedat quartum gradum inclusiue quò ad matrimonium contrahendum, quæ consanguinitas, quò ad ius succedendi secundum leges ciuiles non habet locum, immo durat usque ad decimum gradum, c. Ad sedem 35. q. 1. unde diuersa fit computatio inter ius canonicum, & ciuile, quæ computatio iuris ciuilis ad rem nunc non facit.

Discrimẽ inter ius canonicũ & ciuile.

De criminis impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Crimen impediens duplex est.*

CVm nequissimi homines matrimonium indissolubile uinculum esse noscant, spreco Dei timore laborant ad alias mulieres reperiendas, cum quibus fœdissimas coniunctiones exercent, pactis, ac alijs interpositis ad perniciem animarum suarum; quod turpe dictu, visuque apparet.
1 vnde crimina, quæ impediunt duo sunt secundum aliquos, uel tria secundum alios, ad duo magis communiter rediguntur, quæ impediunt matrimonium contrahi, & contractum dirimunt. Primum crimen est homicidium alicuius coniugis contrahendi causa cum eius coniuge perpetratum vtroque machinante, putà vir occidit propriam vxorem, uel alterius virum, ut eius vxorem ducere valeat; vel mulier occidit proprium virum, vel alterius vxorem, vt eius viro nubere possit, cap. laudabilem, de concess. infidelium. Gof. tamen hic contrarium tenet scilicet, quod solum homicidium non sufficiat, necesseq; sit, vt interueniat adulterium simul cum homicidio, ca. super hoc, de eo, qui cog. vx. S. Tho. in 4. sent. dist. 32. & 35. q. 2. art. 2. aliquando innuit, quod sic, aliquando quod non, sed Inn. Host. in d. cap. laudabilem aliam sententiam tenent, & volunt huiusmodi impedimentum habere locum, etiamsi adulterium non præcedat per tex. in d. cap. laudabilem, qui nullam mentionem facit de adulterio, & hæc est tutior, & rationabilior opinio, quam etiam sequitur Sylu. in uerb. matrimonio octauo nu. 9. etiamsi alter infidelis esset, & homicidium factum fuisset, ut

Duplex crimen.

Primum crimen.

con-

conuerteretur, nam compensatio huiusmodi lucri cum tali damno fieri non debet, ut in d. cap. laudabilem: unde dictum Gof. locum habere videtur, si adulterium præcedat, & homicidium factum sit, altero tantũ machinante, ut in d. cap. super hoc, nam homicidiũ solũ sine adulterio, altero machinante nõ sufficit ad hoc impedimentum inducendum secundum Io. And. & alios in d. cap. super hoc: secus si homicidium non causa contrahendi cum eius coniuge, sed alio fine, vt in bello, aut odio, uel etiam casu perpetratum fuerit, tunc non impedit secundum Doct. in d. cap. laudabilem, Host. in d. cap. super hoc: item si nihil operatus est concilio, uel mandato, licet ratum habuerit homicidium suo nomine factum iuxta glosas communiter receptas in cap. si quis uiuente 31. q. 1. & in ca. 1. de conuers. infidelium, & Io. And. in d. ca. 1. & hoc fauore matrimonij: quamuis in maleficijs ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur. Secundum crimen, quando uterque sciebat reliquum habere coniugem, & interfuit adulterium cum fide data, uel iuramento firmato de contrahendo, uel ipso facto uiuente coniuge contractum fuit matrimonium: puta qui uiuente coniuge contrahit cum qua adulteratur, uel dat fidem, uel iuramentum præstat contrahendi, mortua uxore, nec contrahere potest, nec matrimonium contractum ualet, etiamsi liberi procreati essent, c. cum haberet, & c. significasti, de eo qui duxit in mat. c. relatum 31. q. 1. intellige tamen si primum matrimonium erat ualidum, alioquin nõ impedit, etiam cum polutione d. c. significasti, uel per uerba de præsenti contractum, licet non consumatum, quamuis esset separatum quo ad thorum, uel cohabitationem. d. c. significasti; secus autem si solum adulterium sine contractu, vel fidei datione fuit, quia non induit hoc impedimentum, sicut nec datio fidei de cõtrahendo, nec contractus sine adulterio sufficit. d. c. significasti, & c. fin. eod. tit. item si alter ignorabat, & fuit ignorans toto tẽpore uitæ suæ, & nunquam habuit certitudinem, & probabilẽ opinionem, ut in d. ca. inquisitioni, de sent. excom. nam hoc in casu cessat machinatio in mortem alterius coniugis, & ideo in eius arbitrio erit, sublato impedimento uerbis, uel facto .s. copula matrimonium ratificare, c. 1. eod. tit. aliàs si de hoc certiorata permittat se cognosci, matrimonium inter eos non amplius consistere poterit. d. c. fin.

Secundũ crimen.

De disparitatis cultus impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Disparitas cultus inducit hoc impedimentum.*
2 *Matrimonium consistere non potest inter fidelem, & infidelem.*
3 *Quando matrimonium inter infideles teneat.*

Disparitas vultus inducit hoc impedimētū



1 Olle suum creatorem cognoscere quamgraue scelus est? vnde in odium tanti sceleris matrimonium contractum à christiano cum iudeo, uel pagano, uel cū cathecumeno singulos articulos fidei credente, & firmam mentem habente baptizari, non tenet, c. nō oportet, & c. caue 28. q. 1. nec quatenus est sacramentum, nam Baptismus est ianua, & fundamentum omnium sacramentorū, c. veniens, de præsbitero non baptizato: nec quatenus est in officium naturæ, cum talis contractus sit contra leges, arg. in c. ult. de Diuort. & c. de infidelibus, de consang. & aff. secus si cum hæretica, uel schismatica glo. communiter recepta in. d. c. non oportet. sponsalia uero possunt contrahi inter christianum, & infidelem sub conditione si ad fidem conuertatur secundum omnes Doct. in. d. c. Caue: quapropter si alter fidelium coniugum labatur in hæresim, uel in infidelitatem, reliquus contrahere non amplius potest, siue matrimonium consumatum fuerit, siue non quia in utroque casu fidelis continentiam seruare tenetur, & ad secundas nuptias conuolare prohibetur, c. quāto, de Diuort.
2 sed matrimonium non perfectum potest esse inter infideles. i. quatenus est contractus, & est matrimonium in officium, non secundum quod est sacramentum, uel secundum quod est ordinatum ad prolem secundum perfectionem naturę, c. gaudemus, de diuort; & c. deinde, dist. 26. nō autem secundum perfectionē gratiæ, arg. in. d. c. veniens: nec etiam ut contractus ualet inter infideles, ut iudæum, uel paganum, si contra eorum leges, uel statuta fiat, arg. c. ult. de diuort. & d. c. de infidelibus, & multominus, quando contra leges naturales, ut fit quoties cum pluribus, quā cum vna contrahitur, quia conuersus primam tenetur accipere, uel si noluerit conuerti, peterit uolens unam ex alijs accipere. d. c. gaudemus. vnde sciendum est, quod si alter infidelium coniugum ad fidem conuertatur, & alter suum creatorem non uult cognoscere, nec est spes conuersionis, nec potest cohabitare cum infideli absque iniuria creatoris, vt quia petit, quod est peccatū, tunc conuersus potest libere matrimonium contrahere cū alia,

castita-

castitatē uouere, ordines sacros suscipere (prius tamen ea requisita vt conuertatur). d. c. quanto, ver. si. n. alter & c. si infidelis 28 q. 1. sed post contractum matrimoniū cū alia, quæ matrimoniū contrahendū de nouo impediat, si infidelis conuertatur, sibi nō restituitur vir, & hoc in pænam eius tardæ conuersionis secundum Doct. in. d. c. quanto: secus uero si infidelis vellet cohabitare, relinquendo conuersum in sua libera uoluntate seruiendi creatori, quia conuersus illam recipere tenetur. d. c. quanto, & c. gaudemus: unde actus matrimonialis in infidelibus excusatur, nec est peccatum secundum. S. Tho. si debitum reddatur propter bonum prolis, aut fidei, qua tenetur coniunx coniugi.

De vis, seu metus impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium per metum contractum nihil ualet.*
2 *Coactio duplex est.*

SAtis ex. §. qualiter contrahatur, notum est, consensū liberum adeò necessarium esse ad matrimonium celebrandū, qđ sine eo matrimoniū redditur nullum, sed quoniam contra nolentem matrimonium contrahere aliquoties interesse solet uis, seu coactio, cuius causa mēs
1 perturbatur, & consensus omnino liber nō est. l. 1. ff. quod met. causa. ideo matrimonium per metum contractum nihil ualet, c. cum locum, & c. veniens el. 1. de spons. c. significauit, de eo, qui duxit in mat. contra regulam generalem, quod oēs contractus facti per metum regulariter teneāt secundum glo. & communē
2 in c. Abbas, de his, quę ui: quapropter cauendum est, quod vis, seu coactio alia est absoluta, aliaue conditionalis ut in d. l. 1. absoluta est, qua quis corporaliter compellitur, & hæc coactio non cadit in consensum, sed in corpore putà ad copulam: vnde licet corpus corruptum fuerit, anima tamen non: quia tamen lagislator non tantum perspicit actus interiores, sed magis exteriores: ideo coactio absoluta secundum omnes matrimonium dirimit, sicut, & consensum tollit, etiamsi ex parte cogentium consensus liber interueniat, cum eorum consensus solus non sufficiat ad matrimonium, c. sufficit 27 q. 2. unde eo casu, quo copula matrimonium facit, si tamen sit coacta nō facit arg. c. præsbiteros dist. 50. & c. veniens el. 1. de spons. secunda coactio idest metus est conditionalis, quæ dicitur facere necessitatem conditionalem, quia minus malum maioris eccitandi causa eligitur ut in. d. c. cū

Metus tollit matrimonium.

Coactio duplex ē.

Absoluta.

Coactio cōditionalis

locum

locum Couarr.de mat.c.3.§.4.nu.2.vt quia timetur aliquod periculum siue corporale, ut metus mortis, aut mutilationis, aut verberum, aut perpetui carceris, siue non corporale periculum, vt filiorum, aut amissionis maioris partis bonorum suorum, c.1. de rest.spol.lib.6.& meritò, quia propria bona quædam uita sũt iuxta glo. receptam iuncto textu in l. aduocati.C.de aduoc. diuers.iud.& ista coactio, seu metus ipso iure tollit matrimonium, & consensum, licet matrimonium fuerit consumatum, quia dicitur metus cadens in constantem uirum.l.metum.ff. quod met. cau.d.c.veniens.:si uero sit metus minor, non tollitur matrimonium, sed tenet.l. neq; timorem.ff.eod.tit.notandum tamẽ est, quod minor metus in muliere, quã in viro requiritur iuxta glo. in d.c.cum locum. Tandem si pars coacta, quæ mortaliter peccauit permittendo se cognosci ad euitandam mortem corporalẽ que est minus malum respectu mortis æternæ, c.ita ne 32. q. 5. postea expresse per verba consensum liberum denotantia, uel tacite, vt per cohabitationem consentiat vt in d.c.tua, de spons. altera in sua voluntate perseuerante, erit matrimonium, immo vt consentiat cogi potest, c.ad id, de spons.

De ordinis impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Pæna sacris ordinis insigniti matrimonium contrahentis.*

2 *Coacte ordinatus recipit charaterẽ, continentiã uero nõ tenetur seruare.*

Pena sacris ordinibus insigniti. 1 SI castitas in laico commendatur quid in clerico? qui sacris ordinibus vel eorũ aliquo insignitus prohibetur matrimonium contrahere, & si contrahit dirimitur matrimonium, c.1.& ca.2. qui clerici vel vou. & ipso facto est excommunicatus clemen. vnica de consang.& aff.nec obstat quod nemo votum solemne emittere cogatur, c.integritas, 32.q.1. quia ecclesia neminem ad sacrorũ ordinũ apicem extollere intendit, sed solum statuit, vt qui eos suscipit prohibeatur ad matrimonium contrahendum, & inhabilis reddatur: vnde qui voluntarie ordinatur, licet interius nolit se ad hoc obligare, dum sumit ordines, voluntarie tamen illam inhabilitatem incurrit, & absolute vult, dum vult ordines suscipere. Sco.in 4.dist.37.q.1.secus autem si coactus ordinem suscipit quia licet verum charaterem ordinis suscipiat, arg.c.maiores,

res. §. item quæritur, de Baptiſmo, non autem votum continentiæ illi annexum, arg. c. 1. de his, quæ vi. ſi tamen matrimonio iũctus ad ordinem ſacrum accedat, inſcia, vel reclamante ſua vxore, non ſolum charaterem ordinis ſuſcipit, ſed caret executione, nec poteſt debitum cõiugale exigere, nec illud reddere ex illius conſenſu legitimo, Palud. in 4. diſt. 37. q. 5. col. 2. ſi vero conſenſit, vt eius coniunx ordinem ſacrum ſuſciperet, tenetur religionem ingredi, niſi ſit ſenex, aut caſtitatẽ voueat, c. Agathoſa 27. q. 2. S. Thom. receptus in 4. diſt. 37. art. 1. non autem ſoluitur matrimonium etiam non conſumatum per ſuſceptionem ſacri ordinis, ſicut per ingreſſum religionis, vt habetur in extrauag. Io. 22. quæ incipit Antiquæ: vnde fit, quod minoribus ordinibus initiatus matrimonium contrahere poteſt, c. 1. de cleric. coniug. c. ſi quis vero, & c. ſeriatim diſt. 32.

De ligaminis impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Vinculum matrimonij quantæ virtutis ſit.*

Diuturnitas abſentiæ inter coniuges, quos Deus coniunxit, non inducit præſcriptionem ad dirimendũ matrimonium, cuius vinculum ſemper erit, c. de infidelibus, de conſang. & aff. quocirca euenit, quod vinculum, ſeu ligamen prioris matrimonij viuente propria coniuge etiam nondum cognita, & clandeſtine ducta, dummodo tenuiſſet matrimonium iuxta Conc. Trid. ſeſs. 24. de reform. mat. c. 1. §. qui aliter matrimoniũ cõtrahere cum alia, cũ qua filios quoq; ſuſcepit, uiro prohibet, & ſi contrahat, ipſo iure dirimitur matrimonium ſecundum, adulter iudicatur, c. licet, de ſponſa duorum, efficitur infamis, c. conſanguineorum iũcta glo. 3. q. 4. c. coniunctiones 35. q. 3. & bigamiam incurrit, c. de Bigamis de Bigamis non ordinandis: nec obſtat, quod antiquo tempore Patriarchæ, & alij reperiãtur plures vxores habuiſſe, c. gaudemus de diuortijs, nam illud ex diuina reuelatione factum fuit, vt in d. cap. gaudemus: vnde notandum eſt, quod id, quod dicitur de viro, intelligitur quoque dictum de vxore, cum ad imparia non ſint iudicandi, c. ex litteris, de diuort. quapropter ſi vxor certificata fuerit de morte viri per vehementes præſumptiones vt p famã, quia ſenex erat, aut in acie fuit, nec redijt, vel nuncius loginquo venit, & mortem viri nunciauit, uel quia rece

pit litteras eorum, cum quibus militauit, vel iter fecit, c. in præsen-tia, de sponſ. c. dominus, de secun. nup. auth. hodie. C. de repud. nam vir in his casibus præsumitur mortuus, ſi ipſa vxor matrimonium contrahat, excuſatur ab adulterio, etiamſi eius vir viuat, c. cum per bellicam 34. q. 1. l. vlt. C. de Adult. glo. in c. 1. de eo, qui duxit in mat. & filij ſi quos ſuſceperit, iudicabuntur legitimi, c. ex tenore iuncta glo. communiter recepta, qui filij ſint legitimi. ſi vero poſt contractum dubitat de morte primi viri, debitum debet reddere, ſed non exigere, d. cap. dominus adiuncto, cap. inquiſitioni, de ſent. excom. vnde ſi reuertatur, vel ei de eius vita aliter conſtiterit, ſtatim debet recedere à ſecundo, & redire ad primùm aliàs erit adultera, d. c. cũ per bellicam, & ca. dominus: ſecus ſi ante dubitabat, vel credebat coniugem mortuum, quia nullum eſt matrimonium, & iudicabitur adultera, d. c. in præſentia, & c. dominus, quia uidetur non maritali, ſed adulterino affectu ſibi copulaſſe virum, c. tua, de ſponſ.

De publicæ honeſtatis impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Definitio publicæ honeſtatis iuſtitiæ.*
2 *Ex ſponſ. tam de futuro, quàm de præſenti hoc impedimentum oritur.*

Definitio. 1 Candala, quæ exitium animarum, & corporũ ſæpe ſolent eſſe omni ſtudio tollenda ſunt: & ideo ſubinfertur impedimẽtũ publicę honeſtatis iuſtitię, quod eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens robur ex conſtitutione eccleſiæ trahens, cauſa. n. impulſiua huius impedimenti potuit eſſe ſecundũ Io. And. in ca. iuuenis, nu. 4. de ſponſ. quia experiẽtia docuit grandes brigas, & inimicitias inter conſanguineos oriri, quando uni deſponſatam aliquis de conſanguinitate ſponſi procurat habere: unde hoc impe-
Hoc impedimentũ vnde originem ducat. 2 dimentum oritur ex ſponſalibus de futuro, uel de præſenti ante coitum, prohibens matrimonium cõtrahi, & contractum diſſoluens inter ſponſum, & omnes conſanguineos ſponſæ, & inter ſponſam, & omnes cõſanguineos ſponſi uſque ad illos gradus, ad quos affinitas ſe extendit ſecundum canones antiquos, quãuis ſponſalia nulla ſint, modo conſenſus eius præſtitus fuerit, ca. Ad audientim, & c. 1. eod. tit. in 6. extat nunc quodam Decretũ à ſancta ſinodo Trid. emanatum ſeſſ. 24. c. 3. de reformat. mat. quo tolluntur ſponſalia inualida, quæ olim hoc impędimentum

pro-

producebant, quacunque ratione inualida ſint: item quod hoc impedimentum habeat locum in primo gradu, & non ultra, & conſequenter quod ſponſalia valida hoc impedimentum inducant. quamobrem multa ſecundum Doct. ad hoc, vt ſponſalia ualida ſint, neceſſario requiruntur: primo, quod conſenſus liber ſit, c. veniens, de ſponſ. ſecundo, quod contrahentes ſponſalia in ætate legitima ſint, ca. litteras, de deſponſ. impub. Tertio, quod ſponſalia ſint pura, & non conditionalia, alias nulla eſſent, c. de illis, de cond. app. quarto, quod ſint certa, quia in incertam perſonam non infertur conſenſus, nec impedimentum publicæ honeſtatis oritur Hoſt. in ſum. §. qualiter contrahatur, nu. 18. notandum tamen eſt quod matrimonium per verba de præſenti contractum etiam inualidum hoc impedimentum inducit, & etiã ut antiquitus vſq; ad quartum gradum ſe extẽdit, & conſequẽter in hoc differt à ſponſalibus per verba de futuro contractis, vt declarauit Pius V. in extrauag. Ad Romanum lata 1566.

De affinitatis impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Definitio affinitatis.*
2 *Affinitas quotuplex ſit.*
3 *Contra uas naturale affinitas non contrahitur.*
4 *Gradus affinitatis tres ſunt.*
5 *Quæ requirantur ad cognoſcendum gradus affinitatis.*

1 CVm publica honeſtas aliquando ſoleat, cum affinitate cõcurrere, poſt publicam honeſtatem meritò ponitur impedimentum affinitatis, quæ affinitas ſecũdum Io. And. eſt proximitas perſonarum ex carnali commiſtione proueniens omni carens parentela: *Definitio*
2 & dicitur affinitas quaſi duorum ad vnum finem vnitas: ex eo quod duæ cognationes, quæ diuerſæ ſunt inter ſe per nuptias ſecundum leges, vel etiam per fornicationem ſecundum canones copulantur, altera ad alterius finem accedit. l. non facile. §. affines. ff. de gradibus: & hæc duplex eſt, legitima, quæ nuptijs mediantibus celebratur, & illegitima, quæ per illicitam coniunctionem contrahitur, c. 1. & 2. de conſang. & aff. c. per diſcretionẽ, de eo, qui cognouit conſang. etiamſi ſit coacta, & cum dormiẽte contingat. d. c. per diſcretionem, & ibi glo. dummodo carnis *Affinitas duplex eſt*

G copula

3 copula inter virũ, & mulierẽ secũdũ uas naturale, & non cõtra naturã fiat, aliàs nulla esset affinitas, c.extraordinaria 35. q.2. & vir intret claustra pudoris fęminæ, & seminet licet mulier nõ oritur affinitas per glo.receptam in d.c.extraordinaria, quia ni hil refert. nam secundum Philosophum potest sequi generatio sine mulieris semine.unde si affinitas matrimonium præcedat, illud impedit, & dirimit d.c.1.2.& secus si sequat d.c.per discretionem, & c.ult.de eo, qui cognouit consang.sed impedit, ne ille qui fuit in culpa possit petere debitum sine peccato mortali, sed illud reddere expresse, uel interpretatiue tenetur, c.1.de eo, qui

Gradus affinitatis.

4 cognouit consang. quapropter tres sunt gradus consanguinitatis, sicut & affinitatis s. Ascendentium, Descendentium, & collateralium. Ascendentium sunt, vt socer, socrus, vitricus, nouerca: descẽdentiũ vt Gener, Nurus, Priuignus, Priuigna, Collateraliũ, ut soror mariti, vel uxoris, vxor fratris, & duorum fratrum vxores, sunt, & alij, qui solent appellari illo nomine consanguinitatis, quia specialia nomina nõ habẽt. inter ascendentes, & descẽdentes, cum hi loco parentum, & liberorum perpetuo habeantur, sicut inter consanguineos in infinitum matrimonium prohibetur, cap.1.ibi abstinendum est à consanguineis vxoris, ut proprijs, de consang.& aff. Collaterales vsque ad quartum gradum inclusiue, sicut consanguinei contrahere non possunt, c.non debet, de consang. & aff. quamobrem inter affines numerantur gradus respectu consanguinitatis, ca.porrò 35. q.1.nam omnes consanguinei uiri sunt affines vxori, & omnes consanguinei vxoris sunt affines viro in primo genere, & in eo gradu, in quo consanguinitati iuncti sunt, c.quod super his, de consang. & aff. vnde regula est, quoto gradu distat quis à consanguineo, uel cõsanguinea sua, toto gradu affinitatis distat ab eius uxore, & è contra, ca.de proprijs 35.q.3.non tamen consanguinei viri sunt affines consanguineis vxoris, nec consanguinei vxoris sunt affines consanguineis viri, d. cap. quod super his. Quod vero tria sunt genera affinitatis, ad quæ cognoscenda hæc regula seruanda est. Persona addita personæ per carnis copulam non mutat

5 gradum, sed genus attinentię, c.contradicimus.§. Hac auctoritate, & c.seq.35.q.3.exemplum in primo genere. Titius, & Lucretia sunt fratres, Seius uxorio affectu per carnis copulam cognoscit Lucretiam; hæc carnis copula mutat genus attinentiæ: quia alio genere.s.affinitatis ipsi Titio attinet Seius, sed nõ mutat gradũ quia eo gradu cõsãguinitatis, quo Titio iũgitur Lucretia, eodem

dem

dem affinitatis gradu Titio iungitur Seius. Secundum genus affinitatis per eandem regulā inuenitur, nam si Seius mortua Lucretia accipiat Antoniam: hæc Antonia per carnis copulam mutat genus, quia cum Seius attinet Titio primo genere affinitatis, hæc attinet Titio secundo genere; sed non mutat gradum, quia attinet Titio primo gradu secundi generis affinitatis, sicut Seius attinet Titio primo gradu primi generis: unde mortuo Seio inter Antoniam, & Titium matrimonium consistere non potest. Tertium genus affinitatis per eādem regulam cognosci potest: pone, quod Antonia mortuo Seio per carnis copulam nuptias contrahit cum Petro, Petrus erit Titio, & omnibus suis consanguineis in tertio genere affinitatis, & in primo gradu, quia persona addita personæ per carnis copulam secundi generis, tertiū genus affinitatis constituit. Hęc enim tria genera affinitatis olim impediebant, & dirimebant matrimonium inter certos gradus, vt patet ex causa 35. q. 10. per totam; sed hodie secundum, & tertium genus sublata sunt, & primum genus tantummodo prohibitionem habet, c. non debet, de consang, & aff. item hodie san. Trid. sin. de reformat. mat. sess. 24. c. 4. impedimentum ex illicita copula prouenìens restrinxit ad primum & secundum gradum tantum, & in vlterioribus gradibus statuit, quod huiusmodi affinitas non dirimat matrimonium contractum, & sic dubium ex ipso, c videbatur oriri, an affines ex illicita copula tertij, & quarti gradus matrimonium contrahendo peccent sine dispensatione sic contrahendo, cum tex. non dicat, matrimonium non impediri sed contractum non dirimi: nam à lege ueteri non discedimus, nisi quatenus per nouam exprimatur. l. pręcipimus, C. de appellatio. Qua de re Pius. V. Pōt. Max. motu proprio declarauit dictam affinitatē nec dirimere, nec impedire, ut refert Nau. c. 22. nu. 43. Tandem sciendum est, quod in dispensatione super affinitate, & publica honestate obtinenda, quod impedimentū aliquando simul contingere potest, si publica honestas necessariò comprehendatur sub affinitate, satis est de affinitate fecisse mentionem, ut si impetretur dispensatio, vt liceat alicui ducere uxorem consanguinei sui, consequenter facta est mentio de publica honestate; vnde videtur sublata virtute dispensationis; si vero non comprehenditur ex narratione verborum, vt si impetratum fuit, quod liceat alicui ducere vxorem, non obstante, quod sit illi affinis putà in tertio, vel quarto gradu, non valet dispensatio, si vltra affinitatem (quæ etiam potest contrahi sine

matrimonio, d. cap. per discretionem) erat publica honestas, ex quo de ea non fuit facta mentio expresse, vel tacite arg. in cap. tua, de auctoritate, & vsu palij.

De frig. & malef. impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Definitio impotentiæ tam naturalis, quam accidentalis.*
2 *Quotuplex est impotentia.*
3 *Mulier in concubitu est patiens, & vir agens.*
4 *Quando matrimonium statim dirimitur.*

Quemadmodum in contractibus nulla est obligatio, cum quis se obliget ad id quod non potest dare, vel facere: ita in contractu matrimonij, quo alter deuictus est alteri ad carnale debitum soluendum, nulla est obligatio, si fiat ab aliquo, qui illud soluere nequeat: vnde impotens ad copulam est impotens ad contrahendum: & ideo sequitur duodecimum impedimentũ impediens, & dirimiens, quod vocatur impotẽtia coeundi, c. 1. & 3. de frig.
Definitio. 1 & malef. quæ impotentia, & vitiũ animæ vel corporis, quo quis impeditur alteri carnaliter commisceri, c. ex litteris, de frig. &
Duplex est impotẽtia naturalis duplex est, & prima. Secunda. 2 malef. quæ duplex est. Naturalis, & Accidentalis. Naturalis, alia est temporalis ratione ætatis, vt in impubere, quæ adueniente ætate esse desinit, quæ impotentia potest esse cõmunis vtriusq; sexus, atq; impedimento est, ne matrimonium contrahatur, quamdiu durat, c. quod sedem, eod. tit. & propterea omne delictum cadit in impuberem præterquam delictum carnis, c. 1. de deli. puerorum alia est, quæ contingit in adulto ratione deprauatæ naturæ qualitatis, & in mare nominatur frigiditas, d. c. 1. & c. laudabilem, eod. tit. putà si vir propter nimiam frigiditatem naturaliter sit impotens ad debitum persoluendum, sed in femina dicitur arctitudo, quia virum propter nimiam arctitudinem pati non potest, c. ex litteris, eod. tit. vnde mulier non propter frigiditatem sed propter arctitudinem impotens dicitur: nam in
3 concubitu est patiens, & vir agens, cui satis est, vt mulier ad debitum soluendum possit pati ingressum membri ad claustra pudoris. Quapropter sola arctatio in muliere est causa impotentiæ, sicut frigiditas in mare; quæ impotentia debet esse talis,

quæ

quæ actum carnis copulæ ideſt emiſſionem ſeminis in uaſe omnino impediat: ſecus ſi effectum generationis tantum, nam generandi impotentia non impedit matrimonium, modo adſit potẽtia ad copulam, quæ eſt de eius eſſentia; qua de re ſenes matrimonium contrahere poſſunt, c. quod ſi dormierit, & c. Aperiãt 31. q. 1. nec obſtat d. c. quod ſedem: nam textus ille intelligitur de his impotentibus, qui perpetuo impedimento laborant: vnde ſi ſenes generandi actu careãt, ope, & virtute tamen medicinarum poterit eorum debilitas ſubleuari, & ad coitum roborari: item ſteriles contrahere poſſunt, licet vim generandi non habeant; nam quamuis in matrimonio talium proles non ſperetur, fides tamen inter eos, quæ eſt vnum de bonis matrimonij, & fornicationis eccitatio conſiſtit. Accidentalis impotentia duplex eſt, alia quæ ex accidenti humano infertur, vt ſi gladio, vel alio inſtrumento alicui ſint virilia amputata, qui matrimonium contrahere nequit, & ſi contraxerit, ſeparabitur, ex quo copulã, ideſt emiſſionem ſeminis habere non poteſt, & puero aſſimilatur d. c. quod ſedem: ſecus ſi poſt matrimonium contingat: nam matrimonium legitime factum nullo impedimento dirimitur, c. Horrendus, & c. ſi quis vxorem 31. q. 5. Alia eſt maleficialis, quæ ex maleficio à demonibus infertur, c. ſi per ſortiarias 33. q. 1. putà homo maleficiatur, quod non poteſt cognoſcere uxorem ſuam, ſed omnes alias; uel mulier non poteſt carnaliter commiſceri uiro, ſed alijs: quamobrẽ ſi huic maleficio ſubueniri poteſt remedio aliquo humano, aut diuino, non ſoluitur: ſecus ſi eſt perpetuum vt in d. c. ſi per ſortiarias. Quocirca ſciendum eſt, quod ſi quis ignorantia ductus contrahit, & veritatem impotentiæ alterius poſtea noſcat, ac vult cum impotente ſimul morari, hoc poterit, ſi impotens conſenſerit, non tamen eſt matrimonium, ſed decretum, quia qui talem non poteſt habere ut vxorem, habeat, vt ſororem, & æqua lance mulier habebit maritum, ut fratrem, c. conſultationi, eod. tit. ſi vero non vult, ſed intendat ſuſcipere filios, uel continentiam ſeruare nequaquam poſſit, & petat diuortium fieri, ei ſubuenitur, ſi impotentia eſt naturalis, quia
4 vir frigidus eſt, vel mulier arcta, & vterque impedimentum affirmet, ac veritas impotentiæ apparet per euidentiam facti, vel per alia ſigna, vt quia vir habet membrum aridum, vel quia ſectus eſt; vel mulier apparet ita arcta, quod licet experta fuerit omne remedium contra hoc impedimentum, quod tamen remoueri non poteſt: quamquam aliqua infirmitas contingere de

Accidẽtalis duplex eſt prima

Secunda.

facili timebatur, citra periculum tamen mortis, c. ex litteris, de frig. & malef. ad quod experiendum tenebatur: nam quicunque ad liquod obligatur: simul etiam ad omne id, per quod peruenitur ad illud. vnde mulier arcta, quæ obligatur ad debitum persoluendum, ad incisionem quoque pati, cuius causa ad ingressum membri apta redditur citra periculum mortis (vt dixi) tenetur, statim separatur matrimonium d. c. 1. c. laudabilem, & ibi Abb. nu. 2. nam frustra expectatur euentus, cuius nullus induceretur effectus, c. cũ contingat, de off. delegati. si vero alter affirmet impedimentum, & alter neget, nec de impedimento manifeste cõstat, & veritas probari non potest: ecclesia illis dat tempus triennij, nam secundum glo. in c. ult. eod. tit. impotentia talis aliquando tempore remouetur, infra quod tempus contrahentes efficaciter operam dare tenentur carnali copulæ, & si carnalem copulam eo tempore habere nequiuerint, & iuramento affirmauerint, quod per carnis copulam vna caro nunquam effecti fuissẽt, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ (si propinqui defuerint) qui etiam iurare debeat ad coadiuuandam eorum assertionem ita credere, quod ab illis dictum fuit, ecclesia matrimonium inter eos à principio nullum fuisse pronunciabit d. c. laudabilem, & c. vlt. eod. tit. & potens nouum matrimonium contrahere non prohibetur, sed qui frigidæ naturæ apparuit, matrimoniũ amplius contrahere non poterit; nam sicut est impotens quò ad unam, ita præsumitur impotens quò ad omnes arg. c. ex litteris, eod. tit. sed si vnus confiteatur carnalem copulam interfuisse, & alter neget, nõ debet separari matrimoniũ, quod fauorabile semper est, nisi qui stat contra matrimonium probet per iustum iudicium, putà quia mulier probat se virginẽ esse, uel per alia signa matrimonium minime consumatum fuisse, c. proposuisti, & c. causam matrimonij, de prob. qua de re si ecclesia inueniat se deceptam, quia qui impotens credebatur apparet potens & habilis ad coitum, compellet eos præcedens matrimonium simul reintegrare, & secundum dirimere: quamuis de ecclesię licentia factum sit, d. c. fraternitatis: si uero mulier nõ fuit conscia fraudis, immo tempore diuortij contradixit, potest eum repellere obiectu adulterij, arg. c. benedictio 31. q. 2. & cap. nihilominus 31. q. 5. uerum si potens scienter matrimonium cõtraxit cum tali vitio laborante, non ita facile dissoluitur matrimonium, nam secundum Io. And. sicut ueri coniuges possunt promittere continentiam simul morando, c. quod Deo 33. q. 5.
ita

ita isti in continentia simul manere possunt; in hoc enim casu si non possunt se se habere, vt coniuges, habeant tamen vt fratrẽ, & sororem d. ca. consultationi, & hoc procedit ex concilio, sed non ex præcepto, cum nullum matrimonium inter eos sit, & propterea non poterũt se lasciue amplexari, aut carnaliter oscu lari, quia huiusmodi actus inter coniuges tantum solent interue nire, & licent. vnde episcopus cum potente poterit dispensare, vt nouum matrimonium contrahat, nam graue iugum esset po tenti, qui cum impotente contrahit, cogi, ut in peccato cum ea maneat: immo si cum secunda absque dispensatione contrahat, matrimonium tenet Inn. in d. cap. consultationi, & ibi Abb. qui dat instantiam de eo, qui contraxit cum minore, licet sit obliga tus ad expectãdum, donec peruenerit ad maiorem ętatem, vt in d. cap. de illis, & c. sicut, de spons. si autem impotentia est malefi- cialis ad hoc experiẽdum ecclesia statuit, vt vir, & mulier simul cohabitent per triennium, quę cohabitatio triẽnij semper est ne cessaria in hac impotentia, infra quod tempus opram dabunt ad carnalem copulam, quæ si interuenire non potest, separari de- bebunt, d. c. laudabilem, dummodo cõtrahentes iurauerint cum septima manu propinquorum nunquam carnaliter commisceri potuisse, vt supra iam dictum est, & vterque poterit de nouo ma trimonium contrahere cum alia. vnde si post diuortium uir co- gnoscat aliam mulierem, non reconcilia ntur priora cõnubia d. c. si sortiarias in fine, nam quis potest esse maleficiatus quò ad vnam, & non quò ad aliam. Tandem animaduertendum est, quod si hæc impotentia siue naturalis, siue accidentalis contin- gat post matrimonium siue consumatum, siue contractum tan- tum, non dissoluit matrimonium, quod semel tenuit, c. Horren- dus, & c. si quis vxorem 31. q. 5. in dubio tamen talis impotentia præcessisse creditur, ex quo nunquam potuit copula adesse Abb. in d. c. fraternitatis.

De raptus impedimento.

SVMMARIVM.

1 *Pęna raptorum.*

QVoniam adsunt homines adeò nequissimi, qui pænas lega les in mulierum raptores latas, paruipendunt, ac insidias hone-

honestati mulierum moliũntur, ipsasq; inuitas minis, ac alijs cõpellunt ad matrimonium contrahẽdum: ideo sanct. Trid. Sinod. sess. 24. de reformat. mat. c. 6. volens tanto facinori occurrere, statuit, ne matrimonium inter raptorem (qui ipso iure excomunicatus, & infamis est, quam pænam omnes concilium, auxilium, & fauorem illi præbentes ipso iure incurrunt) & raptam consi-
1 stere ualeat, donec in potestate raptoris moram traxerit, sed debeat fieri separatio, & rapta in loco tuto, & honesto reponatur, ita ut omnem timorem ipsius raptoris depellat, & si ipsum in uirum tunc habere libere consenserit, matrimonium contrahatur iuxta tex. in c. cum locum, de spons.

De impedimentis, quæ impediunt & non dirimunt Matrimonium.

SEquuntur alia impedimenta, quæ matrimonium contrahendum impediunt, si tamen contrahatur, tenet: uerum mortale peccatum contrahentes incurrunt, quæ impedimenta quinque numerantur, scilicet interdictum, Votum, Sponsalia, Catechismus, & Crimen.

De interdicto.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex est interdictum.*
2 *Quæ tempore ferriarum sunt interdicta.*

1 PRimum impedimentum impediẽs, sed non dirimẽs, siue præcedat siue sequatur matrimonium, est interdictum ecclesiæ, & ferriarum. Ecclesiæ, vt cum episcopus. iudex ecclesiasticus, aut Parochus ob aliquod impedimentum, putà quia erat fama, vt essent in aliquo gradu consanguinitatis prohibito matrimonium contrahere volentes, donec ecclesiæ constet, an illud sit verum prohibeat illis, ne matrimonium præsumant contrahere, si postea matrimonium contrahatur, tenet, nisi suberat impedimentum sufficiens illud dirimere, vt in cap. tua, de sponsa duorum, peccarũt

tamen contrahentes,& separantur,donec de impedimento cognoscatur. Ferriarum, quod secundum canones antiquos erat ab aduentu vsq; ad epiphaniam,a septuagesima vsque ad octauam Paschæ, & a primo die Rogationum vsque ad octauam Pentecostes,cap.Capellanus,de ferijs,cap.cum oportet 33. q.4. sed hodie Conc. Trid.sess.24.de reformat.mat.cap.10. restrinxit hæc tempora ab aduentu D.N. Iesu Christi vsque ad diem Epiphaniæ inclusiue, a feria quinta cinerum usque ad octauam Paschæ inclusiue.vnde si contractum fuerit matrimonium tem
2 pore ferriarum ualet, nam solemnis dispensatio, & benedictio solummodo est interdicta,& contrahentes non peccant consumando matrimonium, licet prima uice contrahendo peccarunt Nau.de mat.cap.22.nu.71.

De voto.

SVMMARIVM.

1 *Votum simpl ex.*

1 SEcundum impedimentum impediens, sed non dirimens est uotum simplex castitatis,aut religionis,vnde qui vouit castitatem, aut religionem contrahens mortaliter peccat,quia violat fidem Deo datam,sed tenet matrimonium, illud tamen sine mortali consumare non potest, etiam requisitus a coniuge; nam antequam sumetur matrimonium ratum,potest ingredi religionem,& implere votum, unde peccat consumando, & faciendo se inhabilem prorsus ad uoti impletionem; nec etiam post consumatum, quia debet seruare illud qua parte potest sine preiudicio alterius:nam illud reddere tenetur quotiescunque expresse,vel tacite exigatur,non enim debet se onerosum exibere in matrimonio,ut uxor habeat semper expresse petere;sed mortua coniuge, qui emisit uotũ,illud seruare tenetur, aliàs incurrit eadem peccata. uerum quia non semper est facilis recursus ad Papam secundum communem opinionem in cap. rursus, qui clerici, uel vouen. episcopus poterit dispensare, & melius erit propter periculum incontinentiæ. nec obstat, quod simplex uotum apud Deum æqualiter obliget, sicut solemne, ut in d. cap. rursus, & consequenter debeat compelli,ut seruet uotum, sicut fit in sponsalibus, cap. litteris il 2. de spons. nam hic ecclesia

non dat licentiam contrahendi directe, sed hic est quædam comparatiua permissio, ne deterius inde contingat, vt in d. cap. veniens, qui cle. uel vouen. Notandum est, quod idem, quod dictum est de uoto, intelligitur dictum de iuramento, arg. capit. debitores. de vir. cir. & de consutudine, quæ induceret simile impedimentum, glo. in c. super eo, de cogn. spirit.

De sponsalibus.

SVMMARIVM.

1 *Legitima causa circa sponsalia defuit: Quid operetur.*

TErtium impedimentum sunt sponsalia; qui enim sponsalia de futuro contrahit cum aliqua, tenetur
1 fidem seruare, & sponsalia de præsenti cum eadem adimplere, nisi aliqua causa interfuerit legitima, qua non contraxit, vt iam dixi in §. qualiter dissoluantur, de spons. contrahens tamen de facto sponsalia de præsenti cum alia peccat, sed matrimonium tenet, nam fortius vinculum tollit minus forte, cap. veniens, & cap. sicut, de spons.

De Catechismo.

SVMMARIVM.

1 *Cognatio catechismi impedit, sed non dirimit.*
2 *Quid sit catechismus.*

QVartum impedimentum est catechismus, quando quis alteri iunctus est, quia ante baptismum illum tenuit, ex quo oritur quædam cognatio spiritualis inter easdem personas, inter quas ex baptismo, & confirmatione, cap. per catechismum, de cognat. spirit. lib. 6. sed cũ discrimine; nam cognatio spiritualis ex baptismo, & confirmatione contracta impedit, & dirimit matrimo-
1 nium, ut in impedimento cognationis constat; hæc vero impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum, ut in d. cap. per catechismum, cuius discriminis ratio potest esse: quia baptismus est ianua omnium sacramẽtorum, c. 2. de præsbi

tero

tero non baptizato, & catechiſmus præcedit baptiſmum, vnde ſequitur; quod non eſt ſacramentum, ergo cognatio valida per catechiſmum non contrahitur. item ante baptiſmum non eſt filius eccleſiæ, nec intrare poteſt gloriam æternam, ca. firmiſſime, & c. nulla, de conſ. diſt. 4. ergo per eum, qui filius ſpiritualis non eſt, non contrahitur cognatio ſpiritualis uera, & ualida. qua
2 propter catechiſmus eſt inſtructio tantum baptizandi ſolemniter facta ante fores eccleſiæ a ſacerdote antequam baptizetur puer de articulis ſanctæ noſtræ fidei, quos ſancta eccleſia Romana credit, & profitetur, cap. ante baptizatum, de conſec. diſt. 4. & dicitur grece catechiſmus à catechizo, quod idem eſt, quod inſtruo, quæ inſtructio in paruulis infantibus fit in ſpiritu, & per patrinum promittitur, nec mirum eſt, quia in his, ad quæ omnes tenentur, vnus alium obligare poteſt; ſed an hæc cognatio cenſeatur reſtricta per Conc. Trid. ſicut illa, quæ naſcitur ex baptiſmi, & confirmationis ſacramento, dico, quod ſic arg. glo. in cap. non debet, de conſang. & aff. nau. de mat. cap. 22. nu. 72.

De crimine.

SVMMARIVM.

1 Crimen eſt tanquam genus, & multa crimina continet.



1 Vintum, & vltimum impedimentum impediens, ſed non dirimens eſt crimen, quod multa crimina comprehendit. Primum crimen eſt inceſtus, puta ſi vir ſe immiſceat cum conſanguinis vxoris, uel vxor permittat ſe carnaliter cognoſci à conſanguineis viri; *Primũ.* unde qui fuit in culpa duas pęnas incurrit, quia nec poteſt debitum abſque reatu peccati mortalis petere, ſed petenti illud reddere adſtrictus eſt; nec mortua vxore cum aliqua amplius contrahere non poteſt, & è contra, cap. 1. & 2. de eo, qui cogn. conſang. vx. ſuæ, qua ratione nec etiam illi, qui conſaguineam propriam cognouit, licebit, quamdiu viuit aliam vxorem ducere, nec eius conſanguinea alij nubere, cap. qui propinqua 33. q. 2. Abb. in d. cap. 1. & 2. Nau. cap. 22. nu. 72. Secundum vxoricidium, ſi quis enim occidit vxorem non tamen animo n... *Secundũ.* bendi adulteram, uel vxor occidat virum non animo haben-

di adulterium, cap. Admonere 33.q. 2. Tertium est raptus, qui enim rapuit alienam uxorem, uel sponsam non potest cum ea contrahere, cap statutum 27.q.2 quod tamen per Conc. Trid. factum est dirimens, ut supra dictum est. Quartum est susceptio de fonte proprij filij animo, ne vxor debitum a se exigere valeat, cap. de eo, 30.q.1. de quo satis locutus sum in impedimento cognationis spiritualis. Quintum est homicidium in sacerdotem pepetratum, cap. qui presbiterum, de penit. & remiss. dummodo homicida conuictus sit in iudicio secundum Abb. ibidē. Sextum est crimen propter quod, quis solemnem pęnitentiam fecit, cap. de his, & cap. antiqui 33.q.1. Septimum est, si quis monialem scienter accepit in uxorem, cap. si vero, 27.q.1. quæ crimina a sacris canonibus inducta fuerunt cum ob grauitatem criminis, tum ob ingiuriam, quæ matrimonio facta videtur per coitum cum cognata coniugis.

Tertiũ. Quartũ. Quintũ. Sextum. Septimũ

Qualiter dissoluatur matrimonium non consumatum quò ad vinculum.

SVMMARIVM.

1 *Tripliciter dißoluitur matrimonium non consumatum.*



QVæ spectant ad matrimonium legitime contrahendum hucusque vidimus: reliquum modo est, ut videamus qualiter, & quot modis matrimoniũ legitime contractum dirimatur, & quoniam dupliciter dissolutio aliquando contingit fieri, & quò ad uinculum. & quò ad thorum tantum, & cohabitationem: ideo qualiter dissoluatur matrimonium non consumatum perquiramus,
Primo. 1 quod tripliciter contingit; primo, matrimonium non consumatum quò ad vinculum dissoluitur morte, quæ omnia tollit §. de inceps, auth. de nuptijs, adeo quod si mortuus resurgeret, non recuperaret vxorem; nam obligatio semel extincta non amplius reuiuiscit, c. licet 32.q.7. iuncta, glo. in c. quæris de conse. dist.4. Sylu. verb. diuortium, nui 5. Secundo, matrimonium antequam carnali copula sit consumatum quò ad uinculum dissoluitur per professionem solennem religionis approbatę, c. ex publico, ubi Doct. de consang. & aff. cap. commissum, de spons. Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. unde remanens in seculo non prohibetur,

Secundo.

... bere possit nouum matrimonium contrahere: sed antequã contraha deuictus est alterius professionem expectare: nam si ante professionem factam egrederetur, teneretur egredientem accipere, etiamsi secundum matrimonium statim contraxisset, & consumasset: ante professionem enim profectam vnius vinculum minus dissoluitur, c. verum, & ca. ex parte el. 2. de conuers. coniug. episcopus tamẽ prolationis tempus poterit abbreuiare, si de incõtinentia alterius timeatur, & apparet fraus ex transitu de vno monasterio in aliud; secus si non apparet, quia tempus à iure statutum nõ est abbreuiandum cum inductum sit non tantum in fauorem ingredientis, sed etiam religionis, vt mores eius experiantur, Host. quem sylu. sequitur, verb Diuortium nu. 5. *Tertio*.
Tertio, ante consumationem, matrimonium diuiditur per dispẽsationem summi Pontificis iuxta de causa factam secũdum glo. communiter receptam, vt in d. c. ex publico, & ibi Abb. & iuxta causa est periculum animarum, publicum bonum, vel publicum scandalum, & damnum, Nau. de matrimonio, c. 22. nu. 21. & ratio est, quia matrimonium contractum, & non consumatum significat vnionem, quæ est inter Deum, & animam, quæ venio diuiditur per peccatum mortale, quod priuat animam gratia. §. criminis. 25. dist. ideo nulla est admiratio si potest dissolui.

Qualiter Matrimonium consumatum dissoluatur quò ad vinculum.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium dupliciter dissoluitur.*

1 MAtrimonium consumatum quò ad vinculum dupliciter dissoluitur, & primo, per mortem alterius coniugum. §. Deinceps, de Nup. vnde Apost. ait, mulier aligata est legi quanto tempore vir eius viuit. quod si dormierit vir eius liberata est; cui vult nubat tantum in domino, ca. cum secundum, de secundis nuptijs, Beatior tamen erit, si sic permanserit, cum cælibatus, melior sit, quàm nuptias celebrare Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. quapropter dicitur qui se dat nuptui, benefacit: qui non se dat, melius *Primo*.

facit

Secundo. facit, c. nuptiarum 27. q. 1. secundo, matrimonium contractum inter infideles dissoluitur etiam per consumatione, si altera pars ad fidem catholicam conuertatur, & nequit cohabitare cum infedeli absque contumelia creatoris; quod differuimus in impedimento disparitatis cultus.

Qualiter Matrimonium dissoluatur quò ad thorum.

SVMMARIVM.

1 *In quibus casibus separatio quò ad thorum fiat.*
2 *In septem casibus propter adulterium non fit separatio.*



Atrimonium quò ad thorum, & cohabitatione etiãsi copula fuisset consumatum, dissoluitur: primo propter alterius adulterium, c. licite 32. q. 7. secundo, si alter ex coniugibus fiat hæreticus, c. 2. de Diuort. ca. vlt. de conuers. coniug. Tertio, matrimonium diuiditur quò ad thorum propter neffandum sodomiæ crimen, c. omnes causationes 33. q. 7. Quarto, propter furorem si ita vehemens, & ardens sit, vt probabile mortis periculum inducat, aliter non. Couarr. 2. part. c. 7. §. fin. Nau. c. 22. nu. 21. Quinto, si aliter coniugum inducere alterum procurat ad aliquod peccatum mortale, & nõ põt ab huiusmodi praua dispositione retrahi, Nau. c. 22. nu. 21. Sexto diuortium quò ad thorum fit seuitiæ causa, puta si ita acriter, & immoderate verberetur vxor à marito, & multo magis si alter alterum occidere voluerit, vel venenum præparauerit, c. litteras, de restitut. spoliat. & quoniam diximus matrimonium diuidi quò ad thorum propter adulteriũ, ideo pono septem casus regulam illam limitantes. primus est, si alter siue ante, siue post adulterium, fornicationis crimen incurrit: nam per compensationem hoc crimen tollitur, c. significasti, & c. ex litteris, de Diuort. secũdus est, si vir vxorem prostituit glo. in d. c. significasti. Tertius est, quando mulier nupsit, credens probabiliter virum suum mortuum, tunc non reputatur adulterium, c. in lectum 24. q. 4. glo. in c. 1. de eo, qui ducit in mat. l. vlt. ff. de Adult. Quartus est, si cognita fuit ab aliquo latenter intrante lectum sub specie viri, ca. in lectũ 34. q. 2. Quintus est, si mulier fuerit vi oppressa absolute, c. proposito 32. q. 5. sextus est, si post adulterium sponte

(Margin: Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. — Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto.)

recon-

reconciliatus eam carnaliter cognouerit, vel eam publice adulterantem tenet, c. discretionem, de eo, qui cognouit cõsang. vx. suæ, c. 2. & 3. 22. q. 5. septimus est, si matrimonio in infidelitate contracto ex parte vtriusque vir dederit vxori libellum repudij, & vxor, alteri nupserit, tunc si vterque conuertatur, vir eandem accipiet, cap. gaudemus, de Diuortijs, & ista sufficiant quò ad finem huius tractatus, Ad laudem Dei omnipotentis, necnon sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac Gloriosæ Mariæ Virginis atque Beatorum Apost. Philiphi, & Iacobi, necnon sancti Nicolai, totiusque curiæ triumphantis. Amen. *Septimus.*

FINIS.

00564702G


CB